HERCULES

SECUNDUM

GRAECORUM POETAS ET HISTORICOS ANTIQUIORES

DESCRIPTUS ET ILLUSTRATUS

AB

A. VOGEL.

SUPPOSITA EST

ANNALIUM SCHOLAE LATINAE HALENSIS

PARTICULA QUINTA

AUCTORE

J. G. DIEK

PHILOS. D. PROFESSORE ET RECTORE GYMNASII.

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI

cIↃIↃcccxxx.

I.

HERCULES

SECUNDUM

GRAECORUM POETAS ET HISTORICOS ANTIQUIORES

DESCRIPTUS ET ILLUSTRATUS.

LECTORIBUS.

Οὐκ ἀγνοῶ ὅτι πολλὰ δύσχρηστα συμβαίνει τοῖς ἱστοροῦσι τὰς παλαιὰς μυθολογίας, καὶ μάλιστα τὰς περὶ Ἡρακλέους. Τῷ μὲν γὰρ μεγέθει τῶν κατεργασθέντων ὁμολογουμένως οὗτος παραδέδοται πάντας τοὺς ἐξ αἰῶνος ὑπερᾶραι τῇ μνήμῃ παραδοθέντας. Δυσέφικτον οὖν ἐστι τὸ κατὰ τὴν ἀξίαν ἕκαστον τῶν πραχθέντων ἀπαγγεῖλαι, καὶ τὸν λόγον ἐξισῶσαι τοῖς τηλικούτοις ἔργοις, οἷς διὰ τὸ μέγεθος ἔπαθλον ἦν ἡ ἀθανασία. Hujus judicii, quod facit Diodorus, gravitatem et molestiam si antea, cum Herculem scribere parabam, omnem perspexissem ac satis ponderassem, tantis laboribus nullo, opinor, pacto me fregissem, sed Herculem viris non modo ingenio et arte verum etiam otio studioque abundantibus reliquissem. Hunc enim Herculem nostro tempore scriptori suo puto tot tantosque labores injungere, quot et quantos Junonis aestuans invidia et Eurysthei atrox dominatus vix potuerunt olim illi ipsi imponere. Equidem tribus his annis, quantum in vita scholastica quoque modo fieri potuit, Herculem labefactavi, sed subigere eum eoque prorsus potiri non contigit. Quo factum est, ut Hercules a me promissus in adspectum lucemque adhuc non prodierit ejusque nomen ut ipsum in antiquitate suos habebat irrisores, sic hodie familiarium meorum de me risus quosdam jam concitarit. Ac parum abest, ut hujus officii onus deponam, cum praesertim Herculi meo haec sors cecidisse videatur, ut is non totus sed carptim partibusque suis singulis in solem et pulverem procederet. Ejusmodi pars inest in Encyclopaedia Litterarum et Artium Universali h. e. in opere, quod famae suae amplitudine meam mediocritatem protegere ac tutari potest. Namque Vir Clarissimus idemque hujus Academiae Professor omni re praecellens, Gruber, quod nomen nescio majori in honore an amore habeam, superiore anno me, ut ad illum litterarum orbem, cujus ipse consilia singulari arte moderatur, meum Herculem, qualiscunque tum esset, conformarem in eoque deponerem, non solum suasit sed etiam rogavit. Res erat

ipsa ardua, eaque intra mensem paene tota conficienda; tamen suscepi. Itaque in re tali ab omnibus erroribus cavere vix humanum erat, atque meae humanitatis errores egregie jam auctos video officinae typographicae cura. Altera Herculis mei pars nunc subsequitur, cum ex Scholae lege Commentationis Vernae conscriptio ad me delata esset. Quod semper existimavi, antiquitatis fabulas si quis recte exponere velit, eum diversa tempora et scriptores, ut alter post alterum consecuti fuerint, sequi debere, id in hoc Herculis genere perficere sum conatus. Nam verum est, quod dicit Vir haut pravo ingenio, Guil. Muellerus in Propaedeut. Homer., fabulas cum temporibus procedere et colorem variis temporibus gentibusque variare. Itaque hoc quidem tempore et hoc in libello ab Homericis carminibus exorsus omnes deinceps poetas et historicos, quos de Hercule memorasse cognoveram, usque ad Ephorum sum persecutus, judicio arbitrioque meo adjuncto, quantum quoque modo videbatur. Ephori autem vel Alexandri Magni tempora transgredi idcirco nolui, quod ea antiquioris fabulae sunt quasi termini atque fines, et qui postea fuerunt scriptores, superiora commenta collegisse potius et in artis ordinem digessisse, quam singulari quadam ratione coluisse et nova adjunxisse videantur. Neque tamen ab hujus tractationis consilio et fine alienum esse illud existimavi, ut, quoad ejus fieri posset, posteriorum commentorum fontes in fabulis superioribus ostenderentur, et cum antiquioribus recentiora saepe conferrentur. Jam vero si hanc rationem, quam colui, novam esse et a me inventam simularem, mendax essem et ab unoquoque convincerer, qui M. G. Hermanni et Otfr. Muelleri praeclaros libros, in singulis haut raro mihi duces comitesque factos, replicaverit. Sed propter me Herculis fabulam pleniorem exstitisse, quoniam in hoc uno totum meum studium versatum est, si id mihi concedo, videor id neque temere nec arroganter facere. Quid omnino profecerim, quantum reliquerim, eruditorum sit judicium; videant, dicant. Scr. Halis Saxonum prid. Cal. April. cIↃIↃcccxxx.

Her-

Herculis rerum natura et poesis epicae multa antiquitas quamquam veri simillimum esse ostendunt, etiam ante Homerum Alcumenae filii praedicationem non modo in gentium ore sed etiam in vetustorum poetarum carminibus viguisse, nunc tamen, cum, quae ejus rei memoria supra Homeri aetatem repeti possit ac debeat, ea omnis in temporum ingentem obscuritatem et dubitationem recessit, CARMINA HOMERICA pro primo et antiquissimo fonte habenda sunt, ex quo de Hercule commenta hauriantur. Jam vero haec carmina utrum ab uno an pluribus auctoribus profecta, eademque uni an diversis aetatibus tribuenda sint, hic in parvo discrimine ponendum esse existimo. Nam utcunque erit, de Hercule neque rerum in Iliade et Odyssea ullam discordiam vel repugnantiam reperio, et ambo carmina, si non in eadem, quod quidem magis credo, certe in poesis epicae aetate longe antiquissima habenda esse arbitror. Itaque singula, quae insunt in utroque carmine de Hercule testimonia adferamus.

Ilias: Hercules, Iovis filius et Alcumenae, Thebis procreatus et partu editus est ξ, 250. 323. 324. τ, 98. 99. ε, 396; idem παῖς Ἀμφιτρύωνος vocatur ε, 392. Sed Jupiter, cum Alcumenae olim flagrantissimo arsisset amore, aliquando tamen postea cum Junone concumbendi vexabatur impetu vehementius, quod ipse fatetur ξ, 314—316. 323. 324. Alcumena regis Olympici seminibus gravidata, cum dies illa, qua parturiret, prope adesset, Junonis calliditate ac dolo, quem ipsa Jovis inconsiderata et intempestiva gloriatio exciverat, partu prohibita est. Etenim Jupiter, imperium Persidarum omnium ad filium, quem illa die in lucem editum iri gloriose mentitus est, translaturus uxoris arte eluditur. Ea postquam maritum nihil doli suspicantem ad jusjurandum adegit, ex quo imperii modo factae promissionis fidem religiosissime servaret, ipsa ab Olympo rapide in urbem Achaicam Argos delata Stheneli septimo mense gravidae uxoris partum maturavit, Alcumenae Ilithyiis remotis uterum continuit. Quae cum dea perfecisset, in Olympum rediit et Eurystheum, Stheneli Persidae filium, qui Argivis imperaret, in lucem jam editum esse Jovi denuntiavit. At vero Jupiter gravi dolore atque ira permotus Aten, quae sibi imposuisset, capillis correptam de coelo deturbavit eique in Olympum reditu in omne tempus firmissimo sacramento interdixit. Post, ubi filium suum Eurysthei servitute servire animadvertit, crebro temeritatis suae errorem et culpam conquestus est τ, 95—133. — Hercules magno fuit animo ac robore ε, 639. ξ, 250. (βίη Ἡρακληείη et βίη Ἡρακλῆος ε, 638. σ, 117.

ο, 640. λ, 690. β, 658. 666. τ, 98) et projectus ad omnia audenda et violentus, qui eo insolentiae furorisque procederet, ut fine ulla verecundia ipsos deos immortales telis suis peteret ε, 403. 404. Maxime gratus et jucundus est Jovi parenti σ, 118; Minerva ejus fautrix, quae periculis objectum saepe tutatur et conservat ϑ, 362—365. υ, 146. Juno contra Herculis perpetua invidia aestuat et malis artibus haut raro eum persequitur ξ, 253. ο, 27. σ, 119. add. τ, vv. ll. Hercules in Eurysthei servitute arduos labores sibi imponi passus est, in quibus conficiendis crebros gemitus ad coelum attollebat ϑ, 363. 364. Eurysthei jussa Herculi denuntiat Copreus ο, 639. 640. Ut Plutonis canem protraheret, in inferos Hercules missus (ab Eurystheo, non a Jove) comitem ac ducem habuit Minervam, quae a Jove amandata, ut laboranti subveniret, illum ex Stygiis undis eripuit ϑ, 364—369. cf. 363. et Odyss. paullo inf. Ante Trojam Hercules cum monstro marino pugnavit, cujus ab ora prorumpentis ut impetus sustineret, Troes et Minerva aggerem exstruxere, pone quem ille se absconderet υ, 145—148. Post, ut equos Laomedontis expeteret, navibus sex et parva manu Ilium profectus, cum Laomedon pro accepto beneficio malis verbis eum increparet atque equos retineret, urbem evertit ε, 638—642. 648—651. Herculi Troja revertenti Juno, Somni opera marito consopito, magnas in mari tempestates suscitavit, quibus ille in insulam Con depulsus est. Quod factum Jupiter ubi expergefactus animum advertit, ira furens in deos praesentes saeviit et inprimis Somnum petiit, quem fugientem Nox excepit et conservavit. Junonem vero deûm hominumque pater aurea catena mulieris brachiis injecta et incudum duarum pondere ad pedes ejus adligato de coelo suspendit; neque hac tanta satisfactione magni tonantis ira defervescebat. Filium multas miserias perpessum Jupiter Argos reduxit ξ, 249—261. 266. ο, 18—30. (Cos, Eurypyli urbs β, 677.) Thessalus Herculis filius β, 679. Pylios, quibus Neleus imperitabat, Hercules adgressus omnes regis filios, qui erant duodecim, uno Nestore servato necavit totamque gentem male attrivit λ, 689—693. Pyli [1]) Plutonem telo in ejus humerum infixo sauciavit et prostravit. Pluto gravissimo dolore excruciatus in Olympum se contulit, ubi a Paeone sanatus est ε, 395—404. Ipsius Junonis mammam dextram triplicis aciei sagitta Hercules percussit [2]) ε, 392—394. Ex Ephyra ad fluvium Selleentem sita urbe multis principum oppidis eversis Astyochen praedam egit, ex qua Tlepolemus ei natus est β, 657—660. 653. ε, 628. 639. Sed quantumvis a Jove coleretur, mortem Hercules effugere non potuit; *Μοῖρα* enim et Junonis infinitum odium eum oppressere σ, 117—119.

---

1) Scribendum est apud Hom. l. l. *ἐν Πύλῳ* pro vulg. *ἐν πύλῳ* sc. *Ἅιδου*. Agitur enim haut dubie idem ad Pylum, Nelei urbem, certamen, de quo Homerus ipse superiore loco λ, 689 sq. et Hesiodus; quo de memorant Pindarus et Panyasis, qui ad eam ipsam urbem Plutonem Herculis adversarium fuisse testantur, vid. inf. cf. Pausan. VI. c. 25.

2) Idque ad eandem Pylum factum, quanquam in dubio Homerus hoc relinquit. Sed confirmabitur a Panyaside loco inferiore. cf. Schol. ad Hom. Il. l. l. ad λ, 689. Lycophr. Cass. 39. ibique Schol.

Odyssea: Hercules Jove natus est et Alcumena, Amphitruonis uxore λ, 266—268. 620. φ, 25. 36. Amphitruonis filius dicitur λ, 270. Hercules cum Iphito aequalis fuit adolescentiae Ulixi φ, 13 sq. inprimis 21. Arcu cum diis immortalibus contendebat ϑ, 224. 225. Omnino magno fuit animo ac robore invicto, magnaque facinora patravit λ, 267. 270. φ, 25. 26. (βίη Ἡρακληείη λ, 601.) Uxorem habuit Megaram, Creontis filiam λ, 269. 270. In terris infinitis aerumnis premebatur, cum Eurystheo obnoxius esset, multo deteriori viro, qui ardua imperabat ei certamina et aliquando eum ad inferos misit Ditis canem protracturum, quo mandato nihil atrocius in Herculem excogitari a se posse Eurystheus arbitratus est. Eo contendentem duxerunt Mercurius et Minerva; canem Hercules ex Orci domo ad lucem eduxit. Haec ipsa Ulyssi in inferis adfirmavit Herculis umbra λ, 617—627. Immanis fuit Hercules, qui Iphitum equas duodecim, quae aufugerant, requirentem contra omne hospitium deorumque verecundiam domi suae[3]) occideret, equas retineret φ, 22—30. 36. 37. Postquam e terris Hercules discessit, umbra (εἴδωλον) ejus apud inferos versatur ibique arcu et sagittis instructa, balteo circum pectora crepitante, et omnino in heroum antiquorum modum ornata incedit. Atque vel sic vultu et adspectu terribilis est, ut reliquae umbrae diffugiant, ubi illam conspexere. Talis igitur Herculis umbra in orco Ulyssi obviam facta Laërtae filium illico agnovit cumque eo sortis suae terrenae iniquitatem conquesta se in Ditis domum rursus recepit. Ipse vero (αὐτός h. e. anima Herculis) deorum immortalium consuetudine gaudet et Hebes Jove et Junone natae toro jucundissimo oblectatur λ, 601—627.

Homerica haec. Ac primum quidem unusquisque facile observabit, in Homeri carminibus fabulam de Hercule, qua fuerit illo aevo amplitudine et comparatione, non omnem resonare et revolvi, sed carptim esse omnia adlata, ut quaeque poetae a narrationis opportunitate offerebantur; idque non in uno Homero, sed in omnibus, qui Herculis res non peculiari carmine aut libro tractarint, sed cursim arripuerint et subseciva opera memorarint, notatu proclive est. Ergo pauca sunt, quae in Homeri carminibus de Hercule commemorant, sed ea pauca omni cumulo, qui maximus posterioribus aetatibus ad Herculis fabulam accessit, potiora habenda et ex fabulae Graecae primariis fundamentis aestimanda. Hercules Homericus simplex est eumque ab omni parte Graeci suum vindicant. Nihil in eo peregrinum, nihil commixtum aut discors, nulla pars, quam gentes exterae ac barbarae nationes sibi adjudicent. Armatura etiam heroem ostendit prorsus Graecum, atque adeo Herculis umbra, quae viri terrestris imaginem retinuit, arcu et sagittis instructa et balteo cincta Ulyssi apparet; neque ensis potuit abesse, ubi erat balteus. Talem Herculem exhibebant quoque artis priscae monumenta, ut Cypseli arca, ubi ense cinctus Hercules pro Atlante stabat,

---

3) Recentior est ea fabula, ex qua Hercules vesaniae furore correptus Iphitum de moenibus praecipitat. Nihil de vesania Homerus. Cf. ad l. l. Schol. Ambr. B. et infer. Pherecydes et Sophocles.

Pausan. V. c. 18. p. 423. Vide quae dixi in Ersch und Gruber Encyclop. sub Herakles p. 16. not. 61. Unum tantummodo Homerus Herculem exhibet, isque unus natura sua et origine est Graecus, Alcumenae filius. Atque in hoc uno Hercule cum Homero consentiunt omnes posteriores, qui sunt poetae vere Graeci. De antiquiorum pluribus hoc jam notavit Plutarchus de Herod. Malign. loco maxime notabili: *Καίτοι τῶν παλαιῶν καὶ λογίων ἀνδρῶν οὐχ Ὅμηρος, οὐχ Ἡσίοδος, οὐκ Ἀρχίλοχος, οὐ Πείσανδρος, οὐ Στησίχορος, οὐκ Ἀλκμὰν, οὐ Πίνδαρος Αἰγυπτίου ἔσχον λόγον Ἡρακλέους ἢ Φοίνικος, ἀλλ' ἕνα τοῦτον ἴσασι πάντες Ἡρακλέα τὸν Βοιώτιον ἡμῖν καὶ Ἀργεῖον.* Tom. II. p. 857. E. ed. Xyland. Omnium Herodotus primus est, qui etiam de alio ac de Graeco Hercule cogitaverunt; vid. inf. [Onomacriti nomen apud Pausan. VIII. c. 31. in Orphicos posteriores relegandum videtur] Quod tamen non sic accipiendum esse existimo, ut non ante Herodoti aetatem plurima ab exteris commentis ad Graecorum fabulam confluxerint; multa sane Graeci et mature a barbaris receperunt, sed cum suis adaequarunt et in suum unum Herculem congesserunt, ita ut ipsi domestica, non peregrina, colere sibi viderentur. Sed Homerici Herculis imago, ea vero omnis Graecis debetur. Neque ipsi fines, in quibus hic Hercules vagatur, nimia illa amplitudine et locorum longinquitate, quae postea Alcumenae filii errores terminabat, in Graecam ejus originem et naturam suspicionem ullam conferre possunt. Homeri Hercules in una Graecia versatur atque Aegeo mari, neque longior est ejus ad terras remotiores processio quam ad Ilium, inde Argos redit. — Ex laboribus ab Eurystheo mandatis Homerus unum Plutonis canem (huic tamen bestiae Cerberi nomen vetus poeta non invenit cf. Pausan. III, 25. p. 275) memorat, reliquos tacet, quod aut nondum in illius aetatis fabulis aderant, aut a narrationis opportunitate poetae non porrigebantur. Sed minime Homerus de certo duodecim laborum numero cogitavit, de quo quid sentio, vide in hac ipsa scriptione inferiore. Quod mihi maxime facere contra eos videtur, qui omnes Hercules, Graecum pariter atque Aegyptium et Tyrium, indole et ortu suo Solis deum esse contendunt, eumque Solis deum a barbaris illis gentibus ad Graecos venisse ex laboribus XII jussis efficere student, cum tamen undecim labores et cum his ii, ex quibus tale quid probabiliore conjectura assequi potueris, ut leo, hydra, profectiones in Erythiam et ad Hesperidas, in antiquissimo fabulae fonte frustra quaerantur. Cf. Ouvaroff Examen critique de la fable d'Hercule, commentée par Dupuis, in: Mémoires de l'Académie Impériale des Sciences de St. Petersbourg, Tome VII. — Dixi supra, de Hercule rerum traditarum in Iliade et Odyssea nullam esse discordiam vel repugnantiam. At vero in Odyssea praeter Minervam etiam Mercurius traditur Herculem in Orcum duxisse; tamen hac ipsa carminum diversitate mea sententia salva erit. Namque in Iliade cum Mercurii opera non negetur, tantummodo taceatur, tum hoc vel ipsum de Mercurio silentium Minervae ibi peroranti condonandum est, quae dea suam operam in Herculis conservatione primariam fuisse efficere studet. Sed plane alia res est in Odyssea: ibi Herculis ipsa umbra sine studio coram Ulysse verba facit. — Quae de Herculis ad Trojam rebus gestis, de Laomedontis perfidia, de Herculis ad poenas re-

petendas navibus facta expeditione urbisque Ilii eversione, de ejusdem per mare magnis deae infestae tempestatibus agitatum reditione apud Homerum et posteriores traduntur: in his Graecorum eorum, qui ipsi Trojanorum fraudibus exciti Agamemnone duce classem ad Trojanorum agrum adpulerunt, decem annorum bellum gesserunt, Ilium everterunt, postremo multis mari procelloso periculis defuncti alius alio ventorum vi depulsi in Graeciam suam redierunt, per Herculem expressas imagines reperio atque sic existimo, illam de Hercule fabulam maximam partem belli Trojani tempore, et in castris Graecorum ipsis, et in eorum reditionibus et paullo post in Graecia a belli Trojani popularibus confictam esse, ut patratas suas res ac suam fortunam in Hercule, majorum uno et maximo, praesignificatam et temporibus superioribus jam praefinitam esse ostenderent. Atque idem ego dico, cum Herculis in Peloponneso bella Pyliosque domitos considero, et contendo cum Otfr. Muellero, qui illud idoneis argumentis confirmavit, fabulas de Hercule Peloponnesiacas magnam partem post Dorum in his terris factas expugnationes vel hoc ipso irruptionum tempore a Doribus ementitas esse, quo principum suorum vindicias, quibus alienos fundos atque urbes petebant, et justas esse declararent, et Herculis oppugnationibus partisque superiore tempore victoriis, suas ipsorum irruptiones et bello injusto factas praedas et possessiones, tanquam prisca et pollente auctoritate, defenderent. Vid. Otfr. Mueller Gesch. Hellen. Staemme und Staedte II. p. 441. sq. add. ejusdem viri praeclaram sententiam de fabulis omnino prolatam p. 447. 448. Cf. Heyn. Observationes ad Apollodor. p. 133. et in hac ipsa scriptione infer. de Herodoti Dorieo et de Ephori Phidone. — Postremo quantum momenti carmina Homerica habuerint ad posteriores aetates fabulasque, cum nemo est qui non intelligat, tum hac ipsa progrediente singulorum commentorum expositione in Hercule perspicuum fiet. Neque vero sic existimo, in fabulis post Homerum nihil proprium inesse, quod non ita adfuerit in ipsa vetusti illius poetae aetate; qui probe intelligam, fabulas nasci, augeri et conformari, exornari miscerique vel hominum sermonibus vel poetarum studiis (vid. Megaclides apud Athen. XII. p. 512) usque eo solere, quoad animadversiones, quae versantur in vero ac falso dijudicando, ad omne litterarum artiumque genus conferri consueverint; sed illud dico atque in fabulas omnes valere contendo, quaecunque sint apud Homerum et in antiquorum poetarum memoria, ea ab nulla posteritate abjici sed cum omni posteriorum aetatum recordatione et praedicatione adaequari.

Hymnum in Herculem λεοντόθυμον, qui in Homericos reponitur, sed cum plurimis istis hymnis rectius Homeridae alicujus quam Homeri carmen habendum est, ad illa Homeridarum carmina refero, quae audientium animos ad poemata jam recitanda ampliora paucis praemissis versibus compararint, ideoque προοίμια dicta sint. Atque hic hymnus ad recitandum Heracleam h. e. carmen, quod in Herculis rebus praedicandis laudibusque celebrandis versatur, videtur aditum aperuisse, quod ejus et initio et fine totoque carmine nihil fere nisi argumentum exhibente mihi probatur. Continentur duodecim versibus fere haec: Cantu poeta celebraturus est Herculem, qui Al-

cumena, quae cum Jove concubuit, natus, postquam Eurysthei jussu terram et mare errans obiit et multa facinora patravit multaque mala perpessus est, Olympicam nunc sedem tenet et Hebes gratissimo conjugio laetificatur. — Ceterum hic hymnus summa fabulae momenta ostendit, qualis illa apud Homerum erat. Nec tamen *λεοντόθυμον* dixit Herculem Homerus, sed *θυμολέοντα* Il. *ε*, 639. Od. *λ*, 267.

Ex HESIODEIS CARMINIBUS Herculis praedicationem et commemorationem adferunt *Θεογονία*, *Κατάλογοι γυναικῶν*, *Ἠοῖαι μεγάλαι*, *Ἀσπὶς Ἡρακλέους*, *Κήϋκος γάμος*, *ὁ Αἰγίμιος*, et pauca ex incertis fragmenta. Ea omnia si non ejusdem auctoris, certe ejusdem aetatis existimari ideoque jure quodam juxta se poni et tractari possunt. Sed ante monenda haec sunt: Qui quatuor versus leguntur in extrema Theogonia, audientium aures ad novum carmen parant, quod olim cum ipsa Theogonia quodam modo cohaesisse apparet. Etenim poeta, postquam a versu 964. dearum amores erga viros mortales, ex quibus deorum similes filios pepererunt, exposuit, in ultimis binis versibus (1019. 1020) Musas precibus adit, ut foeminarum genus canant, h. e. heroum genus, qui ex concubitu deorum cum mulieribus mortalibus nati fuerint. Itaque Theogonia, certe a v. 964, cum alio carmine ad ampliorem quendam poematum orbem pertinebat, quem dictos esse *Καταλόγους γυναικῶν* omni re probabilius est [4]), et proximus a Theogonia catalogus *Ἠοῖαι μεγάλαι* dictae illos deorum erga foeminas mortales amores natosque inde heroes praedicabant. In his autem Magnis Eoeis Herculis, deo et mortali muliere nati, memoriam non praetermissam fuisse cum per se patet, tum ipsum *Ἀσπίδος Ἡρακλέους* initium v. 1—56. illarum Eoearum fragmentum haberi potest ac debet. Jam vero *Ἀσπίδος* cetera pars a. v. 57, quamquam nunc est *ἀκέφαλος*, proprium olim ac singulare quoddam carmen fuit, idque cum unius Herculis res et laudes agantur, Heracleam paene dixerim. Praeterea *Κήϋκος γάμον* in latiore *Καταλόγων* orbe infuisse admodum vero simile est. Cf. Fabric. Bibl. Gr. I. p. 579 sq. Harles. Heinrich. Prolegom. in Scut. Herc. De Aegimio inferiore loco videbimus.

In Theogonia de Hercule traduntur haec: Jovis est et Alcumenae filius v. 942. 943. 949, Thebis natus 530. Jupiter Herculis gloriam colit et auget 530. 531, eundem Minerva consilio adjuvat 318, implacabile vero odium Juno in illum suscepit 315. Hercules leonem Nemeum ex Orthro et Echidna natum et a Junone nutritum domuit 327—332; Lernaeam hydram, quam Juno infinito in illum odio adducta aluit, consilio a Minerva, ab Jolao manu adjutus necavit 313—318. Tricipitem Geryonem, Chrysaoris et Callirrhoes filium, in Erythia insula sustulit, ejusque armenta, Orthro cane et Eurytione bubulco interfectis, Oceanum trajecit et Tirynthem adduxit 287—294. 978—982. Draco, qui aurea mala (Hesperidum) custodiebat, Cetus et Phorcynis soboles est 333—336. cf. inf. Prometheum ad columnam adligatum, cujus hepar immortale aquila comedebat, Hercules Jove non invito liberavit, volucri vorace interfecto 521—531.

---

4) Jam ante Hesiodum *Καταλόγους γυναικῶν* fuisse, et in iis Alcumenae praedicationem non omissam esse, disci potest ex Heinrich. Prolegom. in Scutum p. 52. 66. coll. Hom. Od. *λ*, 265.

Post confecta in terris certamina Hercules apud deos in Olympo versatur eique omnis moeroris et senectutis experti omnes dies laetissimi illucescunt. Uxorem ibi habet Heben, Jovis et Junonis formosam ac pudicam filiam 949—954.

Magnae Eoeae (Scut. Herc. 1—56. et reliqua ex Eoeis fragmenta): Hercules Jovis et Alcumenae filius, Scut. 53, genus suum ab Alcaeo Amphitruonis et Electryone Alcumenae parente duxit, ibid. 3. 16. 26. Natus est Thebis, quo Amphitruo, Tirynthe ob Electryonis, quem occidit iratus ob boves, caedem expulsus cum Alcumena, quae forma, mente et in sponsum pietate omnibus foeminis mortalibus antecelluit, supplex se ad Cadmi posteros contulerat 1—14. 49. A Jove, qui formosae Alcumenae amore totus ardebat, ex Olympo per noctem in terras delato, eo consilio Hercules procreatus est, ut deos et homines ab injuriis defenderet 27—36. Et quidem una nocte atque eadem genitus est, qua Amphitruo, cui per jusjurandum, cujus ipsi dii testes facti erant, non prius licuit cum sponsa comcumbere, quam a Taphiis et Telebois [5]), qui Alcumenae fratres trucidarant, poenas repetiisset, ab expeditione suscepta, cujus Boeotos, Locros et Phocenses socios habuit, victor rediit 15—27. 35. 38. (cf. inferius Schol. ad Apollon. Rhod. I, 747). Ejus noctis quod erat a Jove relictum, id totum reversus Amphitruo cupidine vehementissime instigante in Alcumenae compressu consumpsit 39—47. Mulier duplo semine gravidata postea pueros edidit, Herculem a Jove, ab Amphitruone Iphiclem, qui, ut mortalis Amphitruo deo, ita ipse Hercule fuit deterior 48—56. — Praeterea ex Magnis Eoeis memorantur haec: Alcumena Herculem sic alloquitur: O fili, omnino laboriosissimum atque optimum te Jupiter genuit. Atque alio loco: Mi fili, Parcae te laboriosissimum atque optimum (esse voluerunt); vide apud Aspasium in Aristotel. Ethic. III. p. 43. De Telamonis, quo Herculem excepit hospitio et de votis pro Ajace factis Magnae Eoeae eadem fere memorabant, quae apud Pindarum leguntur Isthm. VI. ubi vid. Schol. Denique hae Eoeae de Herculis posteris exponebant, quod disci potest e Pausan. lib. IV. c. 2. p. 282.

Ad Catalogos omnino referenda sunt haec: Neleus cum Herculis ab Iphiti [6]) caede expiationem recusavisset, eundemque Nelidae insolenter tractassent, Hercules adversus Pylum profectus est; vid. Schol. Ven. et min. ad Hom. Il. β, 336. Neleus duodecim filios habuit atque in his ferocem Periclymenum; eum *μεταβληθέντα εἴς τινα τῶν συνήθων μορφῶν ἐπικαθεσθῆναι τῷ ὀμφαλῷ τοῦ ζυγοῦ τῶν Ἡρακλέους ἵππων, βουλόμενον εἰς μάχην καταστῆναι τῷ ἥρωϊ· τὸν δὲ Ἡρακλέα καιρίως αὐτὸν κατατοξεῦσαι, τῆς Ἀθηνᾶς ὑποδειξάσης,* Hesiodus tradiderat teste Schol. Apollon. I, 156. Sequitur jam apud Schol. l. l. ipsum ex Hesiodo fragmentum, cujus summa haec sunt: Periclymenus formas mutandi facultatem a Neptuno acceperat, ita ut modo aquilam inter volucres, modo formicam, modo apum examen, tum terribilem serpentem se ostenderet; sed haec omnis generis dona vix

5) Cf. infer. ad Pherecydem de Teleboarum loco.

6) Cf. Hesiod. fragm. apud Schol. Sophocl. Trachin. 260. (Both.) add. Sturz. Pherecyd. fragm. 46

verbis exponenda eum Minervae consilio postea (cum Hercules adesset) fefellerunt. Atque Eustathius: *Τὸν δὲ Περικλύμενον Ἡσίοδός φησι δῶρον εἰληφέναι παρὰ Ποσειδῶνος, ἀμείβειν ἑαυτὸν εἰς οἵου ἂν ζῴου ἢ δένδρου αἱροῖτο εἰκόνα*, ad Od. λ. p. 1685. cf. ibid. Schol. ad 286. In Catalogo hanc de Periclymeno narrationem infuisse, colligi potest ex Steph. Byz. *Γερηνία* coll. Eustath. ad Il. β. p. 231, qui loci proxime sequentia exhibent, quamquam non cum Heynio (Observatt. ad Apollod. p. 62) primum Catalogum denotatum reperio. Nestor solus ex Nelei filiis, quorum undecim Hercules necavit, perniciem effugit, quod apud Gerenios hospes commorabatur; ex Catalog. adferuntur haec apud Steph. Byz. l. l. add. Eustath. l. l. Cf. Schol. Ven. Il. β, 336. min. ad Od. γ, 68. — Apollonius Rhodius Jolaum (ut in Scuto, de quo paullo inf.) etiam in Catalogo reperiri ait Herculis currus moderatorem; ex quo efficere studet, Scutum esse Hesiodi auctoris; vid. vetus schol. ad Scutum, quod in libro Ald. supponitur, (apud Heinr. p. 40. 41) Haut dubie ad Mulierum Catal. pertinet etiam Schol. nota ad Hom. Il. τ, 116, ubi Hesiodus Stheneli uxorem Eurystheique matrem *Ἀρτίβιαν* (fortasse *Ἀντίβιαν* cf. Schol. ad Il. τ, 123. primum ed. Matthaei, Dresd. 1786. 4.) *τὴν Ἀμφιδάμαντος* dixisse refertur.

Scutum inde a v. 57. usque ad finem. Ad ampliorem fabulam pertinentia in hoc reliquo carmine haec proferuntur: Jovis et Alcumenae filius Hercules praedicatur 66. 163. 371. 467; Amphitryoniades 165. 416. 433. 459. Genus una cum Jolao duxit ab Alcaeo 112. et Lyngeo 327. Electryonem, Alcumenae parentem, Amphitruo occiderat ob boves 82. 86. Amphitruo ob Electryonis caedem Tirynthe patria profugus Thebas se contulit, ubi a Creonte ejusque uxore Henioche exceptus est, ibique degebat cum Alcumena 80 — 87. Nati sunt nec corpore nec mente sui similes Hercules et Iphicles, Jolai pater 87 — 89. 111. [7]). Herculis et Jolai vires ingentes et manus invictae robustaque membra praedicantur 75. 76. Temerarius Iphicles domum et parentes reliquit, ut gratus esset Eurystheo, cujus temeritatis culpam postea saepe sed frustra lugebat 89 — 93. Herculi vero daemon (fatum) arduos labores imposuit 94. Carissimum caput Hercules Jovi est et Neptuno, quorum studia in ejus gloria paranda atque augenda versantur 103 — 107; praeter hos Minerva favore eximio eum complexa et consilio viri regit virtutem et animum ejus ad praeclara facinora incendit 325 sq. Eadem dea thoracem aureum, versicolorem Herculi dira certamina adgressuro muneri dedit 124 — 127; clypeus vero magnus ae rotundus Jovis consilio factus pariter atque ocreae Vulcani inclytum artificium 314 — 319. 122. 123. Mars pro Pylo dimicans Herculis robur expertus est; cujus ter hasta percussus humi se sustinuit, clypeo jam sauciato; quarto ictu femur confossus, clypeo perfracto, humi prosternitur; ita ut ignominia deorum immortalium affectus esset, si victori eum spoliare libuisset 359 — 367. — Jam vero propria et singularia, h. e. Herculis cum Cycno pugnam describentia, in carmine haec memorantur: Herculi cum Trachinem ad Ceycem proficisci maturaret, equis, quorum unus

7) Posterior fabula Herculem quarta luna natum edidit, quo ad Eurysthei servitium respicitur, vid. Suid. *Τετράδι γέγονας*, ibique Philochori contrariam sententiam. Cf. Proclus ad Hesiod. Opp. et D. 770. p. 169.

unus Arion, Jolao forti commilitoni commissis, in Apollinis Pagasaei luco obvius factus est Cycnus, Martis filius, cum hoc ipso parente eodem curru vectus atque illius Ceycis gener 353 — 356. 57 — 65. 70. 77. 95 — 97. 118 — 121. 323. 324. 340 sq. 371. Cycni sperantis, se posse Jovis filium una cum ejus auriga tollere, vota Apollo non exaudivit, sed ipse robur Herculeum in eum immisit 65 — 69. Herculem stimulat et excitat Minerva eique suadet, ut Cycno interfecto Martem illico adoriatur eoque ipso sauciato sese recipiat, quoniam ejus dei equos et arma capere per fatum non liceat 325 — 337. Quibus monitis dea ipsa in Herculis currum adscendit Victoriam et Gloriam manibus tenens 338. 339. equos concitat aegidem concutiendo 343. 344. Ad certamen Hercules se armavit ocreis, thorace, ense, pharetra sagittis referta, hasta, galea 122 — 138. et clypeo (cf. sup.), cujus virtutes praedicantur 139 — 318. Pugnae locum describunt vv. 380 — 382. cf. 474. 475. Commissa pugna exeunte aestate 393 — 401. Adversarii ut primum alter alterum conspexere, Hercules Cycnum, ut currum deflectens praeterveheretur, monet, sed frustra 350 — 369. Ambo de curribus desiliunt et magno clamore congrediuntur, Jove intonante et de coelo pluvias sanguineas demittente 370. 371. 382 — 385; pugna fervet 402 — 412; cadit Cycnus cervicem nudatam infra maxillam Herculis hasta ictus 416 — 423; jacentem victor relinquit 424. Jam vero Mars ob filii obitum irascens 454. furibundus in Herculem saevum irruit 425 — 435. 437 — 442. et Minervae monitione spreta 443 — 450. pugnam magno tumultu redintegrat 451 — 453. hastamque emittit ferream in Herculis clypeum, cujus impetum Minerva avertit 453 — 456. Vehementius eo indignatus Mars gladio stricto in Herculem irrumpit, sed hic adversarii clypeum perfringit et femur percutit; Mars prostratus humi jacet 457 — 462. Pavor et Metus (*Φόβος καὶ Δεῖμος*) saucium deum in currum imponunt et ad Olympum equos flectunt 463 — 466. Hercules et Jolaus Cycnum occisum spoliant et Trachinem contendunt 467 — 470. Minerva in Olympum se refert 470. 471. Cycno generi suo justa solvit Ceyx; ad hoc magna populi frequentia illum, qui diis acceptus fuit, honore persequitur 472 — 476. Sed ejus sepulcrum proluvie sua obruit Anaurus flumen (cf. infer. Euripid.); sic quidem Apollo praecepit, quod Cycnus omnes, quicunque hecatombas Delphos egerant, ex insidiis prorumpens spoliarat 477 usque ad carminis finem.

C e y c i s N u p t i a e. In hoc carmine poeta Herculem ex Argonautarum navi egressum esse tradidit, ut aquaretur, et in Magnesia ad Aphetas ab illis relictum, Schol. Apoll. I, 1290. Id unum de Hercule ex Ceycis Nuptiis exstat. Tripodas mensas in eodem poemate fuisse memoratas disci potest ex Athen. lib. II. p. 49. et Poll. VI, 83; quos equidem locos ab hac scriptura alienos esse existimaverim, nulla Herculis commemoratione in eis adjuncta. Nec multum lucrarer, si angustam illarum Nuptiarum rationem, quam habet Plutarchus in Sympos. VIII, 8. subtiliore sensu gustarem. Neque O t f r. M u e l l e r i (Gesch. Hellen. Staemme III. p. 481. II. p. 457), qui B a c c h y l i d a e ap. Athen. IV. p. 178. versuum, de quibus inf., argumentum ex Hesiodeis illis Nuptiis ductum esse arbitratur, conjecturae me dedere possum, cum utriusque poetae carmen idem paene testimoniorum defectus similisque rerum obscuritas obruerit.

Aegimius, carmen epicum, commemoratur omisso auctoris nomine apud Schol. Apoll. III, 587. IV, 816. Alii a Cercope Milesio, pars ab Hesiodo profectum illud esse existimant, Athen. XI. p. 503; sed tutius cum Stephano Byz. sub Hesiodi ampliore et latiore nomine venditatur; vid. Steph. Ἀβαντίς. In hoc carmine bellum cum Lapithis, in quo Hercules Aegimio, Dorum regi, auxiliatus est, celebratum esse probabile fit; vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 735. Otfr. Mueller Gesch. II. p. 28. 29. cf. inf. Ephorus. Carminis secunda pars de Euboea insula memoravit, teste Steph. l. l. Accedunt quatuor versus ab Schol. ad Eurip. Phoen. 1123. adlati, ubi vid. Vales. Emend. I, 32. p. 38. Poetam, qui Aegimium scriberet, cum res in Euboea gestas adgrederetur, eundem Herculis in hac insula inclytam memoriam et Oechaliae expugnationem non praetermisisse, conjicere nobis licet; cf. Otfr. Mueller l. l. Qui versus ex carmine adfertur ap. Athen. l. l. ἔνθα ποτ' ἔσται ἐμὸν ψυκτήριον, ὄρχαμε λαῶν, eum fortasse Hercules, qui nemoris sibi locum delegit, coram Aegimio pronuntiavit; Otfr. Mueller. III. p. 481. Etiam ille versus de Thesei in Aeglen amore, quem versum a Pisistrato ex Hesiodi carminibus ejectum esse testatur Hereas Megarensis apud Plutarchum in Thes. 20, ex Aegimio videtur esse; namque apud Athen. XIII. p. 557. praeter Hesiodum Cercopis testimonium adfertur. Argonautarum etiam expeditionem in Aegimio tractatam fuisse efficere studet Groddeck in: Bibl. d. alten Litt. u. Kunst II. p. 84; contra vid. Weichert ueber das Leben u. Gedicht des Apollon. v. Rhodus p. 139.

Postremo ex incertis Hesiodeis carminibus haec traduntur: Teleboae, qui insulam Taphum incolebant, praedones Argos pervenere, et Electryonis, Alcumenae parentis, boves abegerunt atque in pugna facta Electryonem ejusque filios sustulerunt. Quapropter Alcumena discessit seque illi nupturam esse aperuit, qui ab interfectoribus paternae caedis poenam repetiisset. Quibus postulatis cum satisfecisset Amphitruo, mulieris conjux factus est. Ἡ ἱστορία σαφῶς παρ' Ἡσιόδῳ, Schol. Apollon. I, 747. [8]). Phyleum (Augeae filium Herculi amicum) diis beatis carum Hesiodus dixisse traditur apud Eustath. ad Hom. Il. α. p. 125. Ladonem draconem, pomorum aureorum custodem, Hesiodus ex Typhone natum esse memorasse refertur apud Schol. Apoll. IV, 1396. Cf. sup. Theogon. 336.

Haec sunt, quae Hesiodea feruntur. Herculis fabulam in Hesiodea aetate orbem latiorem nactam esse, quam quem habuit in Homericis, perspicuum est. Memorantur jam res ante Herculis procreationem factae, porro leo Nemeus, Lernaea hydra, Jolai societas, Geryonis interfectio, liberatio Promethei et Herculis varia pericula; multa praeterea alia speciatim adferuntur; cumque de aureis malis et dracone fiat mentio, etiam de Hercule, qui dracone interemto fructus illos adportavit, commentum adfuisse non inepte aliquis contenderit. Maxime vero fabulae orbem eo esse amplificatum existimo,

8) Hanc historiam cum iis, quae supra ex Magnis Eoeis (Scut. 1 — 56) attulimus, non prorsus consentire, quisque videbit. Sed qui semel animadvertit, antiquitatem satis multa et perquam diversa sub inclytis et amplis vatum priscorum nominibus proferre solere, is hanc discrepantiam non magnopere mirabitur.

quod jam poetae ad singulares ejus partes peculiari studio incubuerunt, ut Aegimius, Ceycis nuptiae et Scutum ostendunt. Scutum vero a versu 57. usque ad finem, ut supra monui, Heracleam esse judico. Namque Heracleas antiquiores non universas Herculis res complexas esse, sed singula quaedam ac praecipua fabulae capita versibus mandasse persuasissimum habeo. Probatur haec mea sententia antiquo quodam carmine *Οἰχαλίας ἅλωσις* inscripto, quod Pausanias Heracleam dicit, vid. loco inferiore. — Omnino tamen Hesiodus vel Hesiodeae aetatis poetae natura atque oris habitu Herculem Homericae imagini prope parem effinxere, cf. Heinr. Prolegom. in Scut. p. 69 sq. Lectores meos, quos, ut cognoscant utriusque Herculis similitudinem ad antiquos fontes ipsos remitto, hoc unum moneo, Herculem utrobique artificiosa arma gestare eumque prorsus militarem esse virum neque ostendi in eo agrestem illum et naturae propiorem heroem, quem posteriores confinxerunt Pisander Camiraeus et Stesichorus. Cf. Encyclop. Herakles not. 61. Atque facili negotio etiam illa discrepantia dissolvi potest, cum apud Homerum Eurystheus, in Scuto daemon s. fatum Herculi labores imposuisse memoretur. Namque apud Homerum idem ille Eurystheus est fati Herculi infesti tamtummodo minister Junonisque, cujus idem odium implacabile Hesiodus praedicat, consiliis perficiendis inservit. Nec offendi quisquam potest, qui in Scuto praeter Jovem et Minervam, quos habet Homerus, Neptunum quoque Herculis fautorem esse repererit. Mirum est, quod in Theogonia (310 — 312) Cerberus describitur, sed ab Hercule eductus non memoratur; cum praesertim in sequentibus de hydra ab Hercule domita exponatur. — Leonem et hydram ab Hercule domitos quod memorarat Hesiodus, antiquus ac nobilis poeta, ex eo illud esse puto, ut, cum posteriore aevo Herculis laborum certus quidam numerus constitueretur atque ordo, hic leo et haec hydra numero primi labores positi sint. Cf. inf. ad Pisandrum. Promethei liberationem ex fabulis Asiaticis poeta, qui ipse patriam Cymen, Aeolidis urbem habuerit, videtur attulisse. Geryonem autem sublatum ejusque armenta abducta Oceanumque ab Hercule trajectum cum caneret, profecto Phoenissas fabulas secutus est; quas Phoenices fabulas vel in Asia insulisque, ubi magnas opes habebant, dissipaverant, vel cum Cadmi colonia in Boeotiam, ubi degebat poeta, induxerant. Recte enim ille, qui contra Geryonem, Chrysaoris filium, proficiscitur, et qui Hesperidum aurea poma adfert, natura et ortu suo Tyrius Hercules (*Μελίκαρθος*) aestimatur, mercaturae et navigationis praeses gentique suae comes et dux in itineribus maritimis. Phoenicum autem naves cum occasum versus solverent, nullam magis quam Hispaniam auro et metallis, pascuis armentisque fertilem terram petiisse, confessa res est. Atque haec est inclyta illa Erythia, hi sunt Hesperidum horti, unde opima Geryonis armenta, unde ipsa aurea mala, h. e. aurum et optima metalla, Hercules vel Phoenices Hercule duce apportabant. Cf. Diod. V. c. 17. extr. Heeren Histor. Werke, XI. 1824. (Ideen Th. I. Abth. 2) p. 32 sq. Encycl. Herakles p. 38. 39. et quas nuper in eundem librum tradidi Cassiterides. De Erythia vid. infer. ad Pherecydem. Nihilo tamen minus Hesiodus, qua fuit rerum ignoratione, cum aliena in fabulam induceret, pariter atque Homerus unum modo Herculem et Graecum se colere arbitratur; cf. Plutarch. de Herod. Malign. loco supra p. 4.

laudato. — Hesiodea illa, quae de Hercule et Nelidis, maxime de Periclymeno et Nestore agebant, quaeque jam in Homericis ex parte aderant, Apollodorus I, 9, 9. §. 2. 3. et II, 7, 3. ante oculos videtur habuisse; cf. Ruhnken. Epist. crit. p. 112. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 62. De Periclymeno adde Euphorionis versum ap. Apollon. Schol. ad I, 156. — Denique quae sit Herculei apud Hesiodum clypei, qui describitnr in Scut. 139—318, ab Achilleo apud Homerum clypeo Il. σ, 478—608. diversa ratio, discere potes ex Schlichtegrolli libro: Ueber den Schild des Hercules. Adde Lessing Laokoon in: Saemmtl. Schr. 2. Bd. 1825. III. p. 294 sq. — De Herculis cum Cycno pugna vid. infra ad Stesichorum.

In perveteres poetas, qui Herculis fabulam attigerunt, reponendus est DEMODOCUS LACO. Eum Demetrius Phalereus (in libro deperdito de poetis, vid. Suid. *Δημήτριος*) primum versibus epicis mandasse Amphitruonis contra Teleboas pugnam scripserat teste Schol. ad Hom. Od. γ, 267.

Ex Cyclicis poetis, inter quos saepenumero ipsi Homerus et Hesiodus habentur, Herculis res tractasse memorantur Creophylus, Cinaethon Lacedaemonius, Pisander Camiraeus, Panyasis, de quibus mihi deinceps dicendum. De Cyclicis poetis vid. Heyn. Excurs. I. ad Aen. II. Wolf Prolegom. ad Homer. p. 125—127. C. G. Mueller de Cyclo Graecorum epico et poetis Cyclicis, 1829.

Primus aetate CREOPHYLUS est, *ἐποποιὸς*, qui Homeri tempore fuisse traditur. Commemoratur cum eo carmen epicum, *Οἰχαλίας ἅλωσις*, Oechaliae per Herculem factam expugnationem canens et Euryti et Joles casum deplorans. Vid. Suid. et Phot. Lexic. *Κρεώφυλος*. Strab. XIV. p. 946 (638. 639). IX. p. 669 (438). Cf. Fabric. Bibl. Gr. I. p. 17. 18. 384. Harl. Bentl. Epist. ad Millium p. 61. Jacobs ad Anthol. Gr. I. p. 469. Otfr. Mueller II. p. 411. 412. C. G. Mueller de Cyclo Graecorum epico p. 61 sq. add. Schol. ad Sophocl. Trachin. 260. et Sturz in Pherecyd. Fragmm. p. 175. [9]). Sed de hoc ipso carmine duplex est sententia ac parum consona. Pars enim Homerum contexuisse atque Creophylo dono illud dedisse et, ut sub Creophyli nomine ederetur, permisisse adfirmat, Suid. l. l. Strab. XIV. p. 946. Eustath. ad Hom. Il. β. p. 330. 331. Proclus in vita Homeri ab Allatio edita. Contra alii Creophylum ipsum carminis auctorem faciunt; vide apud Eustath. l. l. In his Pausanias lib. IV. c. 2. p. 283, qui Creophyli carmen Heracleam dicit nihil fere ab Euboeensium fabulis dissentientem, et Callimachus in epigrammate (ap. Strab. l. l. Schol. ad Dionys. Thrac. in Anthol. Gr. l. l.; Sext. Empir. adv. Mathem. I. c. 2; Etymol. M. *γράμμα*; cf. Eustath. l. l.), in quo Creophyli opus tanquam personam loquentem inducit:

Κρεωφύλου πόνος εἰμὶ, δόμῳ ποτὲ θεῖον ἀοιδὸν
Δεξαμένου· κλαίω δ᾽ Εὔρυτον, ὅσσ᾽ ἔπαθε,
Καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν· Ὁμήρειον δὲ καλεῦμαι
Γράμμα· Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα.

9) Alius est Creophylus, qui *τοὺς Ἐφεσίων ὅρους* scripsisse traditur ap. Athen. VIII. p. 361.

Photius quoque sine ulla dubitatione carmen Creophylo tribuit, item Clemens Alex. in Strom. VI. p. 751. Potter. ubi *Κρεωφύλου* scribendum est pro vulg. *Κλεοφύλου.* Eodem modo apud Plutarchum in vita Lycurgi c. 4. emendandum. Equidem cum apud Plutarchum l. l. legerim, carmina Homerica in Jonia apud Creophyli posteros servata fuisse, eoque profectum Lycurgum illa avide descripsisse, si quid in tanta rerum caligine verosimile dici haberique potest, sic existimem, Creophylum, qui habeat testes locupletissimos Pausaniam et Callimachum, carminis illius antiqui auctorem esse, sed hoc opus cum inter Homerica repertum ejusque egregia indoles perspecta esset, poesis principi Homero adscriptum esse, a quo ejus generis optima quaeque merito peti posse putarentur. — Ex hoc Creophyli carmine ipso unum tantum fragmentum superest apud Schol. ad Eurip. Medeam v. 273. sed nulla Herculis ratione adhibita.

Olympiade IV. CINAETHON LACEDAEMONIUS fuit, qui Telegoniam scripsit, ut est in Chronicis Eusebianis, et Heracleam composuit, cujus una memoria exstat apud eruditum Apollonii Scholiastam ad I, 1357: *Ὅτι δὲ Κιανοὶ ὅμηρα ἔδοσαν Ἡρακλεῖ καὶ ὤμοσαν μὴ λήξειν ζητοῦντες Ὕλαν, καὶ φροντίδα ἔχουσι Τραχινίων διὰ τὸ ἐκεῖσε κατοικισθῆναι ὑφ᾽ Ἡρακλεῖ τοὺς ὁμηρεύσαντας, Κιναίθων ἱστορεῖ ἐν Ἡρακλείᾳ.* Ex his apparet, Trachinios fabulas quasdam de Hercule et Hyla cum Cianis (in Bithynia) communes habuisse, et Herculem in illa Cinaethonis Heraclea a Cianis Trachinem ire maturasse. De Hyla cf. infer. l. Hellanicus et Otfr. Mueller Gesch. II. p. 451. I. p. 293. Quae in Cinaethonis versibus fuisse memorantur apud Pausaniam de Penthilo, Orestis et Erigonae spurio filio lib. II. c. 18. p. 151. de Cretis propagine VIII, 53. p. 707. deque aliis stemmatibus II, 3. p. 119. IV, 2. p. 282: ea poetam vel inprimis intentum fuisse originibus clarorum virorum investigandis declarant; num vero in illa ipsa Heraclea haec occurrerint, in dubio relinquendum.

Omnium poetarum Cyclicorum, de quibus hic dicendum, longe nobilissimus est PISANDER CAMIRAEUS S. RHODIUS. Is vulgo putatur circ. Olymp. XXXIII. floruisse. Distinguendus hic antiquus poeta est ab aliis Pisandris, quorum notissimus Larandensis, *Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν* auctor. Suid. *Πείσανδρος.* Heyn. Exc. I. ad Aen. II. Meursius in Rhodo lib. II. c. 11. Pisander Camiraeus Heracleam scripsit, cujus duos libros fuisse memorat Suidas l. l. Eudocia p. 357. Athen. XI. p. 469. Strab. XIV. p. 969 (655). XV. p. 1009 (688).[10]. Bene eum Herculis acta cecinisse confirmat Quinctilianus in Instit. Orat. lib. X, 1. §. 56. Sed ex ejus Heraclea nostra memoria haec pauca reliqua sunt:

Pisander primus fuit, qui Herculem leonis spoliis amictum et cum clava incedentem proposuit, Eratosth. Catast. 12. Strab. XV. p. 1009. Suid. l. l. et ex eo Eudocia p. 358. add. Schol. Apollon. I, 1196. ubi Pisander *ὁλόχαλκον εἶναι τὸ ῥό-*

---

10) Contra Pisandri Larand. *Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν* apud Stephanum Byz. libri usque ad XXVI. laudantur, vid. infer. l. Nihil curandum, quod Suidas l. l. et cum eo Eudocia p. 358. referunt, fuisse ejus operis libros sex.

παλον Ἡρακλέους ait. Item Theocriti Epigr. XX. Pisandrum primum fuisse declarat, qui Herculem τὸν λεοντομάχαν, τὸν ὀξύχειρα conscripsisset et, quos ille sustinuisset labores, explanasset. Hercules leonem Nemeum necavit ejusque exuvias gestavit, Eratosth. l. l. add. Theocrit. l. l. Is leo ob primos labores Herculis memoriae caussa honorifice astris illatus, Schol. German. Arat. Phaenom. p. 52. ed. Buhle, quo loco Pisandrus scribendus pro Periandrus. cf. Hygin. P. A. II, 24. et Eratosth. l. l.: τινὲς δέ φασιν, ὅτι (ὁ λέων) Ἡρακλέους πρῶτος ἆθλος ἦν εἰς τὸ μνημονευθῆναι, in quorum τινῶν numero utique habendus Pisander propter Schol. Germ. l. l. Pisander hydrae Lernaeae pro uno plura capita affinxit, ἵνα τὸ θηρίον τε δοκοίη φοβερώτερον καὶ αὐτῷ γίγνηται ἡ ποίησις ἀξιόχρεως μᾶλλον, Pausan. II. c. 37. p. 199. Nonnulla de cerva aureis cornibus insigni adfert ex Pisandro, Pherecyde et Theseide quadam Schol. ad Pind. Ol. III, 12. (e cod. Vratisl. Boeckh.). Stymphalidas aves non interfectas sed crotalorum stridore fugatas esse ab Hercule Pisander in fabula sua narravit, Pausan. VIII, 22. p. 640. In libro Heracleae secundo τὸ δέπας memoravit, quo vectus Hercules oceanum transmisit, quod δέπας Solis fuit, Herculi vero ab Oceano contigit, Athen. XI. p. 469. Ladonem draconem (qui Hesperidum poma custodiebat) Pisander Terra natum ediderat, Schol. Apollon. IV, 1396. Antaei, Libyci regis, Irassae habitantis, filiam Pisander Alceida dixit, Barcen aliis eam adpellantibus, Schol. Pind. Pyth. IX, 183. Illo Νοῦς οὐ παρὰ Κενταύροις, quod Pisandri esse ait Hesychius (cf. Suidas, qui tamen Pisandri nomen omittit), poeta Herculis cum Centauris conflictionem spectaverit. Denique Pisander calida lavacra in Thermopylis ad maris littus Herculi a Minerva parata memoravit, quod testantur duo versus a Schol. ad Aristoph. Nub. 1047. servati: Τῷ δ' ἐν Θερμοπύλῃσι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη Ποίει θερμὰ λοετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης. Hos versus respicit Zenobius VI, 49. Cf. Heyn. Exc. I. ad Aen. II. p. 287. nota. Postremum etiam Dejaniram a Pisandro in Heraclea commemoratam esse (vid. Apollod. I, 8. 5. cf. I, 8, 1.) contendit Otfr. Mueller III. p. 476.

Haec certissima sunt ex Pisandri Heraclea. Ambiguitatem ac dubitationem fovent quinque loci apud Apollonii Scholiastam: ad I, 151. de Idae et Lyncei Argonautarum matre, quam Pisander Πολυδώραν edidisse refertur; ad I, 471. de Arene, Peloponnesi urbe, nunc Hierana, ut Pisander dixisse fertur; ad II, 98. de Amyco, quem Pisander et Epicharmus a Polydeuce vinctum esse memoriae prodiderunt; ad II, 1089. de Harpyiis, quas Pisander in Scythiam avolasse narravit, unde advenissent; ad IV, 57. de Endymione, quo de Pisander Hesiodo, Acusilao, Pherecydi, Nicandro et Theopompo consentanea tradidisse memoratur. Potuerunt talia in Heraclea narrari, sed possunt etiam Pisandro Larandensi attribui, idque eo magis, quo copiosius tractata fuisse ab hoc Argonautica ex Zosimo V, 29. apparet. Vid. Heyn. l. l. p. 286. Idem haesito, cum Schol. ad Eurip. Phoen. v. 1748. de Sphinge a Junone ad Thebanos ab extrema Aethiopia missa, et Etymol. M. Κεραυνὸς considero. Neque ex versu illo Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν, qui versus praeter illos duo ab Aristophanis Scholiasta adlatos unus ex omni Pisandro integer est servatus a Stobaeo Tit. XII. περὶ ψεύδους p. 140.

(Gaisford. Vol. I. p. 315), quidquam certi enucleari potest. Denique in Idylliis, quae inter Theocritea XXIV. et XXV. numerantur, et in carmine Megara inscripto, quod Moscho tribuere solent, Pisandri aut Panyasidis Heracleae partes exstare, verosimile non plane videtur [11]).

In Larandensis vero Pisandri opus tum relegandus est Zosimi ille locus, tum Stephani Byz. testimonia cuncta, quae a Pisandro petiit hic scriptor: *Ἀγάθυρσοι*, *Ἀπέννιον* et *Οἰνωτρία*, ubi Pisandri laudatur lib. XIII; *Ἄστακος* et *Κυβέλεια*, ubi adfertur ejusdem lib. X; *Λυκόζεια*, ubi lib. XIV; *Νιφάτης* ubi lib. VII; *Βοαύλεια*, ubi adeo lib. XXVI. cf. sup. not. 10. Nam Rhodius Pisander Heracleam suam duobus libris confecit. Denique, qui epigrammata scripsisse traditur Pisander, is Rhodio haut dubie junior habendus. Vid. Anthol. Gr. II. p. 294. Heyn. l. l. p. 288.

Jam vero iis, quae optimis gravissimisque testimoniis in Pisandri Heraclea infuisse declarantur, paullo accuratius examinatis, non dissimulandum est, ab hoc poeta totam de Hercule fabulam immutatam et novatam esse. Pisandri Hercules omni re diversus est ab eo, quem coluit Homerica et huic proxima aetas. Homericus Hercules prorsus Graecus, Pisandri peregrinus ac barbarus; illius simplex et una, hujus varia et multiplex est imago. Ac primum quidem Pisander non heroem illum militarem, qui hostes domuit, urbes oppugnavit et evertit, Herculem amplius esse voluit, sed agrestem et rusticanum hominem, qui clava bestias ac monstra petiit, eorum exuviis se ipse induit. Clavam vero et pellem leoninam jure sibi deposcit Aegyptius Hercules; Diod. I, 24. Encyclop. Herakles p. 16. not. 61. p. 36. Adde Pausaniae locum lib. V, 25. p. 445, ubi Herculis aliquod signum priscum cum clava in dextra et arcu in laeva Olympiae esse memoratur, quod signum Thasii dedicarunt. Sed Thasius et Tyrius et Aegyptius Hercules omnino inter se simillimi, vid. infer. Herodot. et Encyclop. l. l. p. 38. 39. Deinde Pisandrum praecipue *τοὺς ἄθλους* tractasse, quamquam ea aetate nondum omnes duodecim jussos labores adfuisse existimo, etiam ex minutis, quae supersunt, Heracleae frustis perspicuum est. Vid. inprimis Theocriti Epigr. XX. Agebatur in Heraclea de leone Nemeo, de hydra Lernaea, de cerva Ceryniti, de Stymphalidis, de Hesperidum pomis (memoravit enim draconem custodientem); fortasse etiam aper Erymanthius aderat, qui pugnae cum Centauris commemorationem adduceret; quamquam e Diodori narratione lib. IV, 12, ubi pugna cum Centauris separatim et post aprum narratur, paene suspiciosum est, haec duo prius sejuncta commenta fuisse. Cf. infer. J. Euripides, qui Centauros domitos memorans aprum tacet. Quod utcunque fuerit, Pholi hospitium cum hisce nullo modo conjungebatur, vid. infra Panyasis. Itaque *τῶν ἄθλων* certe eos poetam tractasse apparet, qui postea numero primi in mandatis laboribus col-

---

11) Pisandro illa attribuit Reiske, Panyasidi Valckenaer. Contra vid. G. Hermann. Orphica. p. 691. Omnium maxime videtur obficere, quo minus illa carmina Pisandro aut Panyasidi adjudicentur, quod ea sunt Dorica lingua conscripta, illi vero poëtae Homericam dialectum amplexi sunt; Otfr. Mueller III. p. 477.

locati sunt [12]); eoque ipso posterioribus aetatibus Pisander auctor exstitit, ut Herculis ἄθλων certos quosdam ex indigesta cunctorum factorum mole eximerent, eosque numero definito terminarent. Leonem quidem et hydram jam Hesiodus attulit; idem Geryonem et dráconem, qui Hesperidum poma custodiit, meminerat; sed ad numerum laborum certum definiendum nihil contulit, vid. sup. p. 10. E Pausaniae loco de hydra perspicuum est, Pisandrum multa suae Musae gratificatum esse et, dummodo carminis fines et consilium paterentur, res amplificandi et exornandi studio singularibus, quae adfuerunt, commentis et totius fabulae faciei priscae juxta pepercisse. De Stymphalidis nescio utrum commentum sit recentius, Pisandri, qui crotalorum stridore fugatas scripsit, an illud, quo Herculis sagittis confectae illae aves dicebantur, Paus. p. 640. Omnino ante Pisandrum certi scriptoris hac de re nomen et testimonium frustra quaesiveris. Herculi cum Solis δέπας tribueret, omnino poeta ab Aegyptio vel Tyrio Hercule hoc duxit; is enim est Solis deus. Atque illud ipsum Solis δέπας ut ortu suo Aegyptium et ad Graecos aliunde pervenisse existimem, hortatur tum Hellanici locus ex ejus Aegyptiacis apud Athenaeum lib. XI. p. 470. D, ex quo apparet, phialas et cyathos apud Aegyptios in domestico honore ac religione fuisse; tum inprimis ea, quae novissime nobiscum ex Aegypto de sepulcris regum Thebaeorum communicavit Champollion, illud δέπας Herculi, qua Solis deus est, maxime convenire, videntur confirmare. Vid. Morgenblatt Novembr. 1829. No. 264. Cf. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 162. Antiquissima hujus phialae, sed λέβης dictae, mentio infuit in Titanomachia quadam, Athen. l. l. C. adde Ephesii Alexandri versum ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 558. Athenaeum vero, qui loco superius laudato p. 469. suspicatur, poetas et scriptores antiquiores (Pisandrum, Stesichorum, Panyasin) Herculis per poculum navigationem jocose effinxisse, quod is heros fuisset poculorum ampliorum amator ingens, eo ipso mentis ac doctrinae suae angustias prodere ait Welcker in Jahn Jahrbb. IX, 3. p. 255. Etenim illud poculum Solis fuisse, quo deus tanquam navi oceanum noctu percurrisset, neque Solis ebriositatem audiri in antiquis fabulis ullam. Contra quam injuriam defendi posse Athenaeum equidem existimo. Namque ipse Stesichorus Solis δέπας cum Pholi poculis, quibus Hercules vinolentiae suae indulsit, quadam ratione videtur consociare; vid. inf. de Stesichoro. Cum Antaeum ejusque filiam Pisander memoraret, haut dubie Herculis cum hoc Libyco rege conjunctionis, quae postea patefacta est (vid. inf. Pindar.), in Heraclea sua memor fuit. Ex his omnibus certum mihi videtur esse, Pisandri aetatem eam fuisse, qua primum Aegyptiorum de Hercule commenta in Graecam fabulam magno cumulo confluxerint. Tyrius Hercules jam in Hesiodea aetate cum Alcumenae filio se conjunxerat, vid. sup. Hesiod. p. 11. et infer. l. Herodot. Jam vero quaeri potest, quid Pisandrum commoverit, ut novam plane et ab Graeco Hercule tam alienam rationem complecteretur. Rhodius fuit Pisander; Rhodum

12) Vide laborum jussorum censum apud Apollodorum lib. II. c. 5.

dum insulam crebris suis navigationibus mature jam attingebant et frequentabant Phoenices, apud quos Hercules non solum mercaturae sed etiam Solis numen fuit, ac paene idem, qui ab Aegyptiis colebatur. Quantus etiam postea Solis cultus Rhodi fuerit, in Colosso apparet, quem Rhodiis Chares integris duodecim annis ingente magnitudine fecit. Itaque patria ipsa poetae multum opportunitatis et hortationis obtulit, ut Alcumenae filium, quem ex Graecorum fabulis cognoverat, cum Tyrio Aegyptioque Hercule, h. e. Solis deo, consociare conaretur. Atque in ipsa leonis, qui astris illatus est, et reliquorum, quos poeta Herculi tribuit, laborum commemoratione aliquis studium, Alcumenae filium ad Solis, qui anniversario suo itinere orbem signiferum s. Zodiacum transcurrit, et omnium primum leonis signum intrat, imaginem paullatim fingendi et conformandi haut inepte deprehendet; cf. Schol. German. Arat. Phaen., Eratosth. et Hygin. locis supra laudatis. Perficiendam vero hanc rem et utriusque Herculis societatem omnibus numeris demonstrandam puto Pisandrum posteritati reliquisse, eumque tanta fide et fabulae verecundia fuisse arbitror, ut, quantumvis audax esset ingenio et ad suam rem proclivis, mentem ab argutiis et torta interpretatione refraenaret ac satis haberet, utriusque Herculis eam similitudinem ostendisse, quam utrarumque fabularum comparatio aut offerret aut postulare videretur. Atque idem unum modo Herculem esse putavit; vid. ap. Plutarch. sup. p. 4. — Fabula Pisandrina de calidis balneis, quas in Thermopylis Herculi Minerva aperuerit (cf. infer. Herodot.), posteriore aetate in Siculorum commentis de thermis Himeraeis valebat. Cf. Boeckh. Expl. Pind. O. XII. p. 210. Quae fama olim fuit, Pisandrum Cam. sua ab Heraclea Pisini Lindii, hominis ceterum prorsus obscuri, surripuisse (Clem. Alex. Strom. p. 751.), haec fide nobis indigna videtur.

Ex Cyclicis poetis nunc spectandus est PANYASIS, nobilis poeta epicus, qui floruit circ. Olymp. LXXVIII, vid. Suid. *Πανύασις*, ex eo Eudocia p. 357. Paus. X, 8. p. 817. Dionys. Halicarn. Tom. II. p. 68. ed. Sylburg. Quinctilian. X, 1. §. 54. cf. Voss. de Histor. Gr. IV. c. 6. Heyn. Ind. scriptorum ab Apollod. laudatt. Fabric. Bibl. Gr. I. p. 734. Is praeter Jonica, carmen versu pentametro scriptum, Heracleam contexuit libris XIV, versibus circiter novies mille (Suid. et Paus. ll. cc.), ex qua hodie exstant haec ab aliis scriptoribus conservata:

De Herculis liberorum morte Panyasis cum Stesichoro paene consentientia tradidit, dissentientia a Thebanorum sermonibus, Paus. IX, 11. p. 731. In libro Heracleae primo leonem Bembineten s. Nemeum (Bembina vicus aut oppidum Nemeae) ejusque pellem commemoravit, quod testantur duo versus conservati apud Steph. Byz. *Βεμβῖνα*, ex quibus conjici potest, Panyasin Pisandri et Stesichori exempla secutum Herculi pellem leoninam et, quod consentaneum videtur, clavam attribuisse. Hydram quoque narrationi suae poeta intulit et cancrum, qui per Junonem in sidera relatus est eo quod, cum Hercules hydram oppugnans ceterorum [13]) auxilium haberet, is unus e palude

13) *Τῶν ἄλλων*, in quorum numero haut dubie Minerva et Jolaus, cf. sup. Hesiod. p. 6.

prosiliens illius pedem momordit; eum Hercules iratus videtur conculcasse, Eratosth. Catast. XI. cf. Hygin. P. A. II, 23. Post haec τῶν ἄθλων recensionem poeta haut dubie longius prosecutus est eosque omnes in libro Heracleae primo pertractavit. Nam in eo ipso libro Herculis in Erythiam susceptam navigationem (qui labor est X. apud Apollod. II, 5, 10. et Diodor. IV, 17.) expositam ibique Solis phialam a Nereo illi tributam esse disci potest ex Athen. lib. XI. p. 469. cf. Macrob. Sat. V, 21. extr. Eodem libro, ut opinor, legebatur, Solem ab Hercule telis petitum esse; Clem. Alex. Cohortat. ad Gent. p. 31, ad quem locum vid. Potter. et Heyn. Obss. ad Apollod. p. 161; ex eo ipso libro est, cum legitur cum Mempsedoro et Polyaeno Panysasis Solis boves commemorasse eorumque custodem Phylacium dixisse, Schol. Hom. Od. μ, 301. p. 413. Buttm. Porro Panyasis de Aegyptiorum more homines immolandi egit, et multa bellaria (πέμματα) multasque pullas volucres (πολλὰς δὲ νοσσάδας ὄρνεις) victimis imposita esse scripserat; Seleucus apud Athen. IV. p. 172. Hesperidum draconem in Heraclea occurrisse apparet ex Hygin. P. A. II, 6. cf. Schaub. ad Eratosth. 4. p. 77. Scholiasta ad Germanici Aratea Phaenom. (Engonasin) his ipsis verbis: Draconem immensae magnitudinis, hortorum custodem insomnem, cum a Junone ad custodienda aurea mala esset constitutus, Hercules, cum ad mala aurea profectus esset, ut refert Panyasis in Heraclea, fertur peremisse; et iccirco inter astra Jupiter hunc laborem memoria dignum honorasse et utrosque sideribus intulisse, ita ut in certamine fuerint eorum habitus, serpentis capite jam desecto; qui ideo in genu stans, manibus sursum extensis, dextro pede contra draconem porrecto pingitur, ut certaminis labor significetur (suppl: is est Hercules — ἐν γόνασιν, Ingeniculus). cf. Festi Avieni Aratea Phaenom. (Engonasin). add. Hermann Handb. d. Mythol. III. p. 34. 48 sq. — Crebros scyphos Herculemque bibacem praedicabat poeta in Heraclea tertio libro; supersunt apud Athen. XI. p. 498. hi duo versus: Τοῦ κεράσας κρητῆρα μέγαν χρυσοῖο φαεινὸν Σκύπφους αἰνύμενος θαμέας πότον ἡδὺν ἔπινεν. Cum his conjungo Panyasidis versus, qui vini laudes celebrant et ad bibendum cohortantur, apud eundem lib. II. p. 37, apud Clem. Alex. Strom. lib. VI. p. 742. et apud Stobaeum Tit. XVIII. περὶ ἀκρασίας p. 164. 165. (Gaisford. Vol. I. p. 364.). Ac mihi quidem hi versus omnes ad Pholi hospitium videntur spectare, idque propter Stesichori haut dissimiles versus apud eundem Athenaeum sequente p. 499; quos vide loco inferiore. Jam vero, cum omnes Herculis labores in Panyasidis Heracleae libro primo narrarentur, hi vero versus pertinentes ad Pholi hospitium, quod in fabula vulgari cum apri Erymanthii venatione conjungi solet, ex libro tertio dicantur esse, facile adducor, ut credam, Pholi hospitium posteriore demum tempore cum illo labore conjugatum esse, priore vero et Panyasidis aetate ejus rei memoriam ab apri venatione abfuisse (cf. sup. p. 15); jamque similiter statuisse video Otfr. Muellerum III. p. 473. Neque a Pholi hospitio alienus est versus ad Bacchum spectans, quem ab eodem illo tertio Heracleae libro petit Schol. ad Pind. Pyth. III, 177; nec abhorret, quod est ex carmine ap. Athenaeum lib. II. p. 36. D, Panyasin potionem Gratiis, Horis et Baccho tribuisse primam, secundam Veneri atque iterum Baccho, Injuriae et Atae tertiam. Pa-

nyasidis hos versus ipsos *Πρῶται μὲν Χάριτές τ' ἔλαχον, καὶ εὔφρονες Ὧραι* etc. e MS. Athenaei Epitomes primum editos profert liber Schweighaeus. T. I. p. 138. Haec igitur omnia ex tertio libro, isque liber inprimis videtur Herculem inter pocula versantem Pholique hospitium celebrasse. — Herculis ad inferos profectionem Panyasin versibus suis mandasse apparet ex Pausan. X, 29. p. 871, ubi poeta Thesei et Pirithoi in inferis adhaesionem depinxisse memoratur. — Acheloi filiam Panyasis Castaliam dixerat, et Herculem Parnasso celeriter superato ad ejus Castaliae Acheloidis aquam venisse tradiderat, vid. Paus. X, 8. p. 817. ubi duo versus adferuntur [14]). — Qui quatuor versus leguntur apud Clem. Alex. in Cohort. ad Gent. p. 30, eorum ratio ad Herculem servitute (non Eurysthei sed Omphales, vid. inferius) servientem videtur conversa esse, ipsique Herculi molestam servitutem detrectanti vel exsecranti solatium adferre [15]). Fabulam vero de Hercule et Omphale Panyasidi jam cognitam et susceptam fuisse docet locus apud Schol. Apoll. IV, 1149, ubi Herculi in Lydia aegrotanti [16]) ab Hyllo, Lydiae flumine, sanationem contigisse, eamque ob causam duo ejus filios Hyllos vocatos esse ex poetae fabula narratum est. Ad Herculis Omphalae servientis in Asia gestas res spectant ea, quae de Tremilo ejusque calamitosis filiis, haut dubie ab Hercule occisis, quinque Panyasidis versibus adferuntur ap. Steph. Byz. *Τρεμίλη*. — Ad Pylum urbem Plutonem et Junonem vulneratos hujus Heracleae auctorem non silentio praeteriisse apparet ex Arnob. adv. Gent. IV, 25. et Clem. Alex. Cohort. ad Gent. p. 31. cf. sup. Homer. p. 2. Aspidem ultra Pisam sitam cum meminisse poeta in Heracleae lib. XI. apud Steph. Byz. (*Ἀσπίς*) referatur, verosimile est, hanc mentionem Olympiorum ab Hercule institutorum praedicatione adductam fuisse. Tyndareus vero cum ab Aesculapio in vitam restitutus esse ex Panyasidis carmine memoretur apud Apollod. III, 10, 3. §. 12. et Schol. Eurip. Alcest. 1, eam rem poeta aut cum Herculis adversus Hippocoontidas expeditione videtur contexuisse, aut in Jonicis tractasse. Oechaliae expugnationem copiose expositam esse perspicuum est ex Clem. Alex. Strom. VI. p. 751. — Adonin a Panyaside memoratum esse docent loci ap. Hesych. *Ἠοίην τὸν Ἄδωνιν Πανύασις*, et ap. Apollod. III, 14, 4, sed haec ex Jonicis puto esse, quod Adonidis res carmini elegiaco magis quam epico congruunt, cf. Apollod. l. l. Vide tamen Schol. ad Theocrit. Id. V, 21. Hesych. et Suid. *Οὐδὲν ἱερόν*. Otfr. Mueller III. p. 474. Porro ap. Apollod. I, 5, 2. Panyasidis auctoritate scribitur, Cererem ad Eleusinem, Triptolemi pa-

---

14) Quos versus ad eum Herculem refero, qui aut post liberorum suorum caedem aut post Iphiti interfectionem (vid. sup. Homer. p. 3.) Apollinem Pythium adiit; cf. Otfr. Mueller II. p. 436.

15) In hac Heracleae particula poeta Homericis Il. ε, 382 sq. videtur resonare.

16) Morbo implicatus est propter Iphiti caedem, Encyclop. Herakles p. 26. 27.

trem, venisse; quae utro in carmine infuerint, decernere non audeo. Non multum lucratus fueris ex Etymol. M. 196, 34. τὰ πεδία, vid. Otfr. Mueller l. l. — De Theocriti et Moschi carminum ratione satis dictum esse existimo sup. p. 15.

Quodsi ea, quae ex Panyasidis Heraclea exstant, cum Pisandri et Stesichori fragmentis (quae vid. infra) conferamus, aetate hos superiores poetas Panyasidi duces fuisse apparet. Omnino is est commentorum consensus apud hos ternos poetas, ut quasi triumviri fabulae recentiori constituendae dici haberique queant. In singulis alios quoque secutus videtur Panyasis, ut Homerum in Herculis ad inferos profectione, eundem et Hesiodum in Plutonis et Junonis vulneratione, Creophylum in canendo Oechaliae exitio, quod ipsum ei furti criminationem, quamquam falsam, ut puto, contraxit; Clem. Alex. l. l. Haut pauca vero nova apud eum eminent, ut cancer, qui Herculem momordit (cf. infer. ap. Hellanicum); Nereus pro Oceano, qui fuit apud Pisandrum, phialam tribuens; Aegyptiorum credita immanitas, Herculis cum dracone inter sidera collatio, et quae sunt alia. Solis boves cum Panyasis pro Geryonis armentis substitueret, facile ad fabulam de Alcyoneo Gigante respexit, quam vide ap. Apollodor. I, 6, 1. §. 4. Servitium vero apud Omphalen Aeschylo antiquiori jam cognitum fuit, item Hellanico et Sophocli, qui sunt Panyasidis aequales. Etiam Achelous in fabulam ante inductus erat ab Archilocho et Pindaro, atque Hyllus Sophoclis notissimus est; vid. infra. — In armando et ornando Hercule Panyasis Pisandri expressam imaginem recoluit. Ἄθλους etiam, qui postea tanquam jussi exponuntur, eosdem fere sibi tractandos videtur suscepisse, quos Pisander. Sed Pisander dum his ἄθλοις celebrandis carminis sui fines terminat, Panyasis reliquos etiam, qui postea extra jussos habebantur, Herculis labores praedicavit, iisque, ut opinor, majus carminis volumen, quam illis, permisit. Quod cum fragmentorum, quae ad labores non mandatos pertinent, major frequentia, tum id ipsum videtur ostendere, quod, quamvis Heracleae XIV libri essent, ἆθλοι omnes uno ac primo libro continebantur. Atque haut scio, an verum dixerim, si in decem et trium librorum reliquorum unoquoque praeclarum aliquod et memorabile ex Herculis reliqua vita unum factum tanquam libri cujusque rem peculiarem praedicatam esse contendam. Tertius certe liber in Pholi hospitio vinorumque virtutibus extollendis (qua parte Stesichorum secutus est Panyasis, vid. infra) versabatur; cumque poeta Creophylum, qui ex una Oechaliae eversione totam Heracleam contexuit, adeo exscripsisse arguatur, consentaneum est, hanc rem etiam in Panyasidis Heraclea integrum librum explevisse. Quid? si ipsa Olympia supra memorata in libro XI. tractabantur. Omnino Panyasin et Pindarum, de quo postea, eos esse poetas arbitror, qui posteriorem fabulae orbem ejusque partium compositionem illa aetate anteceperint et jam tum perfecerint. — Illud vero, quod in Pisandro et Stesichoro tantummodo suspiciosum est, cum Hercule rationes astronomicas collatas esse, in Panyaside et Aeschylo (vid. infra) perspicuum est ac manifestum. Mitto alia, quae huc acciri possint: Hercules ἐν γόνασιν denuntiat, heroem non amplius vacare a signorum coelestium adfini-

tate. Praeterea monendum est, Panyasin illas astronomicas rationes non, ut Pisander et Stesichorus fecisse videantur, in unam profectionem contra Geryonem intulisse, sed etiam cum profectione ad Hesperidum poma contexuisse. Atque haec duo Herculis pericula sunt, quibus ipsa subtilior antiquitas Alcumenae filii cum rebus coelestibus ac Solis deo conjunctionem probare studuit. Cf. infra de Aeschylo. — De Aegyptiorum hostiis humanis cum Heraclea (in profectione ad Hesperidas, ut arbitror) memoraret, haut dubie ea memoria pertinebat ad illud, quod Herodotus lib. II. c. 45. ipsorum Graecorum ineptum atque inconditum commentum mavult haberi; vid. inf. Herodot. et Pherecydes. Utcunque erit, Panyasidis tempore familiaritatem inter Graecum Herculem atque Aegyptium confirmatam adfuisse certum est. Itaque Punica et Aegyptia et Lydia et Asiatica in Panyasidis fabula effusa conspiciuntur. Sed idem Panyasis nonnisi unum Herculem esse putavit, eumque Graecum, cf. Plutarch. sup. p. 4. Postremo notatu dignum est, quod vix fortuito accidere potuit, nec in Panyasidis nec in Pisandri nec in Stesichori nec in Aeschyli fragmentis Eurysthei rationem adhiberi ullam; quem cum jam Homerus et prisci poetae in Herculis fabula coluissent, proclive est judicatu, Panyasidis tempore totam fabulae naturam et pristinam comparationem mirum quantum immutatam esse.

Ad Cyclicos quodammodo pertinere videtur Dionysius Cyclographus, de quo dicemus inferiore loco. Sed hic statim addamus ex Cyclicis poetis notitiam eam, quae est apud Schol. Hom. Il. ψ, 346. de Arione equo. Eum equum, ut Cyclici tradiderunt, Copreus, Haliarti rex, qui a Neptuno acceperat, Herculi gratificatus est; atque Hercules in pugna cum Cycno, Martis filio, eo vectus *καθ᾽ ἱπποδρομίαν* victor fuit in Pagasaei Apollinis luco, qui est ad Troezenen (cf. sup. Hesiod. p. 9). Postea Hercules Arionem Adrasto donavit, qui solus, cum ceteri socii in bello Thebano perirent, hoc equo ex mortis periculo ereptus est. — In carmine Cyprio infuit etiam Nestoris de Herculis furore narratio, ut ostendit Chrestomathia Procliana (C. G. Mueller de Cyclo Graecorum epico p. 42). Sed is furor paene diversus videtur fuisse ab eo, quem Tragici, inprimis Euripides, celebrarunt. Cf. Otfr. Mueller II. p. 436. not. 1. Denique vide Schol. Ambrosian. ad Hom. Od. β, 120: *Ἀλκμήνη Ἠλεκτρυῶνος ..... ὡς ἐν τῷ Κύκλῳ φέρεται.*

Perventum est ad poetas Lyricos, de quo genere vid. Schoell Gesch. der Griech. Litteratur; vertit Schwarze, Bd. I. p. 136 sq. Dicendum est inprimis de Archilocho, Stesichoro, Pindaro, Bacchylide et Antimacho.

ARCHILOCHUS PARIUS Gygis temporibus vixit teste Herodoto I, 12, aut regnante Romulo, ut vult Cicero in Tuscul. Disput. I, 1. §. 3. h. e. circ. Olymp. XV. 720. a. Chr. n. cf. Clem. Alex. Strom. I. p. 398. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 107 sq. Voyage du jeune Anacharsis en Grèce, Tom. VI. chap. 76. p. 397 sq. Hic poeta peculiari car-

mine Herculem Callinicum [17]) praedicavit, idque ipse in Olympiis recitavit, ut satis declarant Pindar. Ol. IX. init. et Schol. ad v. 1. Epinicium fuit istud carmen, aut Eratosthenis sententia hymnus in Herculem. Tantam vero hoc carmen Graecorum admirationem habuit, ut etiam Pindari tempore ad Olympicorum victorum gloriam decantaretur. Exordiebatur ab his: *Ὦ Καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες.* Praeterea in versibus audiebatur *Αὐτός τε καὶ ὁ Ἰόλαος, αἰχματὰ δύο, Τήνελλα.* Illud *Τήνελλα,* ad citharae pulsatae rhythmum et sonum conficta vox carminis versus uno ac praerupto sono praeibat et singulas deinceps carminis partes praesonans aperuit, Pind. et Schol. l. l. add. Schol. Aristophanis ad Aves 1762. Barnes. ad Eurip. Herc. fur. 681. — Apud Schol. Ven. ad Hom. Il. φ, 237. est, ab Archilocho Acheloum sub tauri specie ad certamen cum Hercule productum esse. Cf. sup. ad Panyasin p. 20. Ex loco ap. Schol. Apollon. I, 1212. apparet, Archilochum etiam Nessum Centaurum ab Hercule in Eveno flumine sublatum memorasse; et fortasse, quae his priora adfert Scholiasta l. l., idem Archilochus narravit: Herculem Dejanira ducta Calydone commorantem in convivio Cyathum, Oenei pincernam, Architelis filium, pugno interemisse, quod is ignorans aquas ad pedes lavandos comparatas super Herculis manus fudisset, propterque eam caedem una cum uxore fugientem ad illum Evenum Nessumque venisse. Cf. sup. Pisander p. 14. Otfr. Mueller II. p. 417. Sed haec in hymno illo maxime nobilitato occurrerint an in alio, quae plurima scripsit Archilochus, carmine a poeta relata fuerint, parum constat. Ad hoc Archilochus Telephum, Herculis ex Auge filium, carmine celebravit, si modo recta scriptura est apud Athen. III. p. 111. cf. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 109. yyy. Harl. Archilochus, cum *μελάμπυγον* et *πύραργον* aquilarum esse species diceret, (Schol. Lycophr. Cass. 91.) facile ad Herculem *μελάμπυγον* respexit. Gaisford Poet. min. Gr. Vol. I. p. 321. Certe illud *ΜΗ ΤΕΥ μελαμπύγου τύχῃς* Archilocho cognitum fuit, vid. Schol. Ven. ad Hom. Il. ω, 315. cf. infer. Herodot.

Ex TYRTAEI, qui fuit tempore belli Messenii secundi, reliquiis acciri possunt, quae sunt apud Stobaeum Tit. L. (XLVIII). p. 352: *Ἀλλ' Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ.* cf. apud Strabonem lib. VIII. p. 557 (362). (Gaisford Poet. min. Gr. I. p. 434. 438.). — ALCAEUS MITYLENAEUS, qui vixit Olymp. XLIV, hydrae Lernaeae novem capita tribuerat, SIMONIDES CEUS, qui obiit Olymp. LXXVIII, quinquaginta bestiae affinxerat, Schol. Hesiod. ad Theog. 313. (Gaisford III. p. 414. et I. p. 403.). Alcaeum secuti sunt Apollodorus II, 5, 2. et Hygin. f. XXX. cf. infer. Euripid. et sup. p. 14. — XANTHUS, poeta lyricus, Stesichoro antiquior, non recentiorem sed Homericum Herculi vestitum tribuerat, teste Megaclide apud Athen. XII. p. 513.

STESICHORUS HIMERAEUS tempore Phalaridis, Agrigentinorum tyranni, fuit usque ad Olymp. LV vel LVI. De ejus vita et poesi videatur O. F. Kleine, qui nuperrime Stesichori fragmenta edidit. Ex junioribus poetis, qui Herculem in praedonis habitu,

---

17) De Hercule Callinico vid. Apollod. II, 6, 4, a quo dissentit Hesychius sub h. v. Cf. infra ad Hellanicum.

cum clava, pelle et arcu (τόξοις) vagantem proposuissent, Stesichorum haec primum confinxisse, ait Megaclides apud Athen. XII. p. 512. cf. Eustath. ad Hom. Il. χ. p. 1279. Sed carminum Stesichori hoc maxime loco respicienda ejus Γηρυονὶς et Κύκνος.

Quod Quinctilianus lib. X, 1. §. 62. de poesi Stesichori omni dicit, id vel maxime de ejus Geryonide praedicari posse existimo. Carmen fuit, quod rem epicam, h. e. Herculis adversus Geryonem profectionem, rhythmo et numeris lyricis subigeret. Supersunt ejus Geryonidis particulae hae: Solem Stesichorus poculo per oceanum navigare tradidit, eoque ipso Herculem, cum ad Geryonis armenta contenderet, trajecisse; vid. fragm. Athen. ex libro XI. in Casaub. Animadverss. p. 781; ex quo Eustath. ad Hom. Od. ι. p. 1632. Ad haec accedit fragmentum ipsis poetae verbis apud Athen. XI. p. 469. conservatum, in quo sunt fere haec: Sol (postquam Hercules τὸ δέπας reddidit) in hunc aureum calicem descendit, ut per oceanum ad sacrae et obscurae Noctis profundas sedes (occasum), ad matrem, conjugem liberosque reverteret [18]); Jovis vero filius (reddito calice) nemus lauris opacum pedibus petiit. Apud Schol. Hesiod. ad Theog. 287. est, Geryoni Stesichorum sex manus sexque pedes, praeterea pennas attribuisse. Apud Strabonem lib. III. p. 221 (148). reperitur, Stesichorum Geryonis armenta (retineo βουκολίου) nata dixisse ad Tartessi (Baetis) fluminis immensos fontes ἀργυρορίζους in faucibus saxosis prope eos locos, qui sint adversi inclytae Erythiae. Ad hoc poeta insulam quandam maris Atlantici Sarpedoniam in Geryonide dixit, Schol. Apollon. I, 212. Porro in carmine occurrit Herculis apud Pholum Centaurum hospitium et compotatio. Calicem in illo hospitio adhibitum Stesichorus σκυφίον δέπας dixerat. Hoc δέπας, tres lagenas complectens, quod Pholus temperavit et adposuit, ab Hercule epotum est; Athen. XI. p. 499. A. B. E. Adductus est, ut opinor, Stesichorus mentione de Solis calice facta, ut hoc Pholi δέπας hospitiumque memoraret. Sed tamen Herculis apud Pholum commorationem separatam habuisse poeta videtur ab apri venatione, quod idem in Panyasidis Heraclea notari necesse fuit, sup. p. 18. Ex Pausan. lib. VIII. c. 3. p. 601. 602. Pallantium, Arcadiae oppidum, ἐν Γηρυονίδι (sic enim scribendum pro ἐν Γηρυόνῃ Διῒ) commeoratum esse videre licet. Quam quidem memoriam vel istius apud Pholum hospitii descriptione, vel, si illam a poeta praedicatam fuisse credi licet, pugnae cum Centauris commemoratione adductam esse probabile est. — Praeterea in Geryonide intexta fuisse puto cum Otfr. Muellero III. p. 475. primum liberorum ex Megara natorum interfectionem, cujus fabulae ratio Stesichoro cum Panyaside (vid. sup. p. 17) convenit, Paus. IX, 11. p. 731; deinde Pisae memoriam apud Strab. VIII. p. 546 (636), ex quo etiam Olympia ab Hercule instituta poetam meminisse colligi posse videatur. Πέμματα Stesichorus quoque memoravit; non tamen ei eadem in hac memoria obversabantur, quae juniori Panyasidi; vid. Athen. IV. p. 172. cf. sup. p. 18.

---

18) Cf. Aeschyli versus ex Heliadibus ap. Athen. XI. p. 469. Mimnermi e Nanis ap. eundem p. 470; Otfr. Mueller II. p. 425.

Ex Stesichori **Cycno**, carmine epico et, ut opinor, iisdem, quibus Geryonis, numeris lyricis contexto, Scholiasta ad Pind. Ol. XI, 19. hanc servavit notitiam: Cycnus, Martis (ex Pelopia) filius, ad maris littus habitans, qua iter ducebat, ut erat infesta hospitibus mente (κακόξενος), cum praetereuntibus capita abscindere consueverat, ex quibus Apollini se templum exstructurum esse simulabat, tum Herculi praetereunti insidias paravit. Certamine facto, cum Mars parens filio succurreret, Hercules primo refugit, postea Cycnum occidit. — Stesichorus etiam Cerberum carmine domuit, teste Polluce in Onom. X. sect. 152. Kleine fr. 11; idque carmen Herculis praedicationem sibi depoposcisse, infirmari non possit. Postremo, ut est in Etymol. M. Ἀνασφῆλαι, Herculem poeta ἐρίσφηλον dixit; in quo carmine, incertum est.

Pisandri, Stesichori et Panyasidis Hercules sibi plane similes esse, et supra p. 20. indicatum est et unusquisque videt. Sed Herculis recentiorem imaginem omnium primo Stesichoro deberi cum relatum legimus apud Athenaeum, certe Megaclidae hic erit error; nam Pisander Stesichoro prior fuit. Notari autem debet, quo ipso differt hic a Pisandro, Stesichorum praeter clavam et leonis pellem etiam τόξα, quae jam tribuit Homerus, Herculi suo commisisse, quae recentiora τόξα quid Herculi audaci praestiterint, docuit Panyasis ap. Clem. Alex. in Cohort. ad Gent. p. 31. vid. sup. p. 18. Fabula de Solis calice, quem a quo Hercules acceperit, apud Stesichorum non memoratur, (sed haut dubie Solem ipsum hic poeta cogitabat, vid. infer. Pherecyd.) Pisandro jam suscepta fuit; vid. sup. p. 14. add. Otfr. Mueller II. p. 425. Hanc vero Herculis cum Sole conjunctam rationem Stesichorum hoc libentius amplexum esse existimo, quo maturius in Siciliam, Stesichori patriam, Phoenicum coloniae cum aliis numinibus Herculem, Solis deum, adduxissent. Accedit quod poetae ipsius tempore Carthaginienses in hac insula considere coeperunt. Erythia est Hispania, ubi cum optimis metallis etiam opima armenta Phoenicibus eorumque coloniis nascebantur, vid. sup. Hesiod. p. 11. et Stesichorus ipse ap. Strab. III. p. 221. Geryonis sex manus sexque pedes et pennae haut dubie a Phoenicibus confictae, qua confictione Graecos atque alios populos ab hujus terrae bonis abunde repletae sed monstris horrendae frequentationibus deterrerent, cf. Encycl. Cassiterides [19]). Ex Sarpedoniae, maris Atlantici insulae, commemoratione illud certe apparet, Stesichorum plures Phoenicum fabulas de locis occidentalibus in fabula sua intexuisse. Ἄθλων censum Stesichorus habere non potuit, qui de singulis Herculis rebus et separatim exponeret. Novum in hoc poeta est, quod Hercules poculorum eximius amator bibendique studiosissimus effingeretur; id quo adductum fuerit, supra dictum est. Itaque Hercules bibax, qui postea in multo poetarum cultu fuit [20]), Stesichori in-

19) Tricorporem Geryonem dixit Euripides; vid. infra. Adde Aristophanis jocum in Acharn. 1082. In scenam productus est Geryon ab Ephippo; vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 298.

20) Cf. Alexis in Hesione ap. Athen. XI. p. 470. Phaedimus in Heraclea ibid. p. 498. Caucalus et Matris in Herculis Encomiis ap. eundem lib. X. p. 412. Scyphi Herculei lib. XI. p. 500. Her-

ingenii foetus videtur esse. Ceterum hanc viro virtutem, qui semel agresti natura et ingentibus corporis viribus praeditus esset, maxime convenire, vix debet notari.

Denique Stesichori Cycnus carmen fuit ab ea descriptione, quam Scuti Herculis auctor profert (vid. sup. p. 9.), multum abhorrens. Pugnae quidem locum uterque poeta ad Thessaliae littus videtur finxisse. Etenim Scuti auctor in luco Apollinis Pagasaei Herculem et Cycnum sibi obvios factos esse tradit, et apud Stesichorum Cycnus ad maris oram habitat et eidem Apollini ex capitibus peregrinantium aedem exstruere parat. Ergo Pagasae ad mare sitae et Apollinis utrobique injecta memoria eundem pugnae locum videntur deposcere. At vero de virorum virtutibus multum inter se discrepant carminum auctores. Primum in Scuto et Hercules et Cycnus ut veri et priscae aetatis heroes curribus vecti sibi occurrunt et pugnant, quamquam etiam in hoc carmine Cycni, cum Apollini dicata munera praeripuisset, praedatoria indoles erumpit. Contra Stesichorus ut omnino Herculi suo agrestem naturam et parum ingenuam affinxit, ita in hoc Cycni domitore ferocitatem magis quam heroicam virtutem videtur coluisse; Cycnus vero Stesichorius est latro ex insidiis prorumpens, etsi tantum abest, ut Apollinis munera intercipiat, ut Apollini peregrinantium capita se gratificaturum esse simulet. Neque curribus advehuntur apud Stesichorum adversarii, sed suis pedibus videntur advenire, quod utrique ex Stesichori ratione consentaneum est. Deinde in Scuto et Herculis et Cycni armatura ad antiquiorum heroum exemplum artificiosa est et vere militaris; sed in Stesichori carmine clavigerum Herculem itemque Cycnum agrestibus armis instructum apparuisse maximo jure colligi potest. Porro Hercules quo ire in animo habuerit, cum Cycnum offenderet, Scuti poeta ostendit, tacet Stesichorus, quamquam hoc cum aliis rebus fortasse Scholiastae silentio concedendum est. Tum in utroque carmine Mars adest, sed in Scuto post filii demum perniciem is ad certandum cum Hercule victore se accingit, qui apud Stesichorum ab omni certaminis initio filio succurrisse videatur. Idque ipsum, quod Hercules primo refugit, Stesichorus unus habet; nam in Scuto uno ac primo congressu adversarium domat. Nec, quemadmodum in Scuto Herculis virtus Minervae consilio, currus Jolai dexteritate regitur, ita Stesichorus horum societatem auxiliumque Alcumenae filio concedit. Cycnus denique utrobique cadit, sed Mars tantummodo in Scuto vulneratur et prosternitur. Cf. Hermann Hdb. der Mythol. II. p. 275. 276. n. 532. — Scuti rationes coluerunt poetae Cyclici, cum Arionem equum Herculi ad certamen traderent (vid. sup. p. 21); Stesichori expressam imaginem Pindarus suscepit; hic tamen templi ex humanis capitibus exstruendi consilium non Cycno, qui Apollini, sed Antaeo, qui Neptuno gratus esse voluit, adscripsit; vid. infer. Pindar; add. Euripid.

Apud PINDARUM, qui natus est Suida teste Olymp. LXV, Herculis frequentem esse memoriam non multum mirabitur is, qui cogitet, hunc poetam, cum esset victoria-

---

culi libantes nihil in calice relinquebant, lib. XII. p. 512. add. Jonis Chii versus XI. p. 463. Athenis *οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν* ante comae tonsuram Herculi poculum vino repletum offerebant; Pamphilus ap. Athen. p. 494. cf. Hesych. *Οἰνιστήρια.*

rum praeco, multum hortationis et opportunitatis habuisse, ut Herculem popularem (vid. Isthm. I.) tanquam omnis heroicae virtutis primarium ac perpetuum exemplar ostenderet ejusque semper popularium animis obversantem gloriam verborum granditate augeret. Cf. Nem. I, 49—52. Pyth. IX, 151. 152.

Patriam Hercules easdem habuit, quas poeta, Thebas, Isthm. I, 13 — 15. cf. Isthm. VII. init. Hercules Jovis est stirps, Ol. VII, 40. 41. et Schol. ad h. l. *Ἀμφιτρυωνιάδαν* Herculem poeta dicit Isthm. VI, 56, Alcaei progeniem Ol. VI, 115. Jupiter Amphitruonis arma fortunavit seque cum ejus genere commiscuit. Nam cum abesset et Teleboas domaret Amphitruo, hujus ore vultuque adsumpto immortalium rex in ejus vestibulum ingressus est, semen Herculis futuri intrepidum adferens, Nem. X, 19 — 34. cf. Isthm. VII, 10. Et media quidem nocte deorum maximus per nives aureas de coelo delapsus in Amphitruonis aedium vestibulo constitit et ad Alcumenam accessit, Isthm. VII, 5 — 10. Alcumena, ex Jove et Amphitruone gravida, uno partu filios geminos edidit, Pyth. IX, 148 — 150. Hercules, simulac cum gemino fratre (Iphicle) ex utero matris partus acri dolore excruciatae in lucem processit, quum dearum irata regina binos dracones misisset, qui per portas apertas in thalami latum penetrale irrumpentes dente voraci pueros perdere parabant, non, ut Junonis odio lateret, in fascias confugit, sed rectum attollens caput pugnam primam exorsus est et serpentes manibus correptos suffocavit. Praesente periculo quae aderant ad Alcumenae curam mulieres vehementer perculsae erant et Alcumena ipsa de cubili nuda exsiluerat ad belluarum vim propulsandam. Nec non Cadmeorum principes armati adcurrere et ipse Amphitruo stricto gladio advolare. Hic cum per nuntios ante accepisset, monstrorum pueros praedam esse, et praesens contra esse videret [21]), ingens terror et gaudium invasit Amphitruonem Herculis robur et inopinatam fortitudinem conspicatum. Quapropter Tiresiam vatem ex vicinia arcessit, qui Amphitruoni et circumstanti frequentiae exponit, quae sit futura Herculis fortuna, quanta orbis terrarum et pelagi monstra Hercules sit necaturus; eumque homini scelesto et impio (Porphyrioni) mortem infestissimam illaturum esse [22]). Etenim in campis Phlegraeis, cum dii adversus Gigantas bellaturi es-

---

21) Cf. Schol. ad Nem. I, 88.

22) Retinenda utique in Nem. I, 97 — 99. scriptura: *Καί τινα σὺν πλαγίῳ Ἀνδρῶν κόρῳ στείχοντα τῷ ἐχθροτάτῳ Φᾶσέ νιν δώσειν μόρῳ.* Male: *τὸν ἐχθρότατον Φᾶσε ἲν (φᾶσέν ἰν) δώσειν μόρον,* quod ad Herculis ipsius interitum per Nessum spectaret. Miror interpretes, qui mutandi studio hoc non viderent, quod jam sequentia *καὶ γὰρ ὅταν θεοὶ* satis luculenter demonstrant, praedicari versibus illis adlatis singulum Herculis factum ex pugna cum Gigantibus, de qua pugna jam plura usque ad v. 105. memorantur; miror, quod de illorum interpretum sententia Tiresias Herculis mortem, quam futuram esse laborum magnorum praemium lectissimum ipse a versu 105. ostendit, paullo ante *ἐχθρότατον μόρον* dixerit, Nessi quippe venenato sanguine illatum, de quo Nesso alias poeta nihil; miror, quod de eadem falsa sententia vates herois mortem priorem memoraverit, quam certamen cum Gigantibus. Itaque versus illos ad Porphyrionem Gigantem *σὺν πλαγίῳ κόρῳ στείχοντα* (Junonis quippe pudicitiam male atterere inter

sent, fore ut Hercules diis auxilium praestaret et hostes telis suis prosterneret [23]). Postremo Herculem laborum gravitate superata perpetuam placidamque felicitatem nacturum esse et Hebes florentis toro et Jovis epulis delectatum iri, Nem. I, 49 usque ad finem. — Herculem et Iphiclem Dircaeus fons potu suo nutrivit, Pyth. IX, 153—155. Non corporis proceritate insignis Hercules, sed animo feroci et ad luctationem promto fuit et gravissimo robore in impetu adversarios premebat, Isthm. IV, 83—90. cf. Pyth. IV, 504. βίη Ἡρακλέος Ol. XI (olim X), 31. Herculis robur ad omnia patranda paratum laudatur in fragmento Pindarico [24]) apud Lucian. in Demosth. Encom. T. I. p. 898. ed. Basil. cf. fragm. Pind. ex Platon. Gorgia inferiore l. adferendum. Ferrea Alcumenae proles Hercules dicitur in alio fragmento haut dubie Pindarico apud Lucian. de Imaginibus T. III. p. 326. — Filios e Megara natos octo Hercules aere (hasta, telis) occidit Isthm. ~~VI,~~ IV 108. 109 [25]). Hercules hasta, telis, arcu et clava pollet et pelle leonina tectus incedit, Isthm. l. l. et VI, 50. 53—56. 69. Ol. IX, 45. Nem. I, 102; fragm. ex Erotian. Gloss. vid. infra. — Omnium primum periculum subiit interfectione leonis Nemei, cujus pellis heroem circumvolitat, Isthm. VI, 69—71. Mercedem retentam ut vi exigeret ab Augea perfido, expeditionem Hercules suscepit. Sed Cteatus et Eurytus, Molionidae, qui insidias collocaverant in Elidis recessibus, ejus exercitum Tirynthium profligarunt. Quapropter Hercules postea ad Cleonas eis insidiatur eosque domat. Tum Epeorum (Eleorum) regem (Augeam) adgressus hujus terram igne et ferro vastat, urbem evertit, ipsum capit et jugulat. Jamque victor exercitu ad Pisam coacto omnibusque belli spoliis ibidem coacervatis, ex quibus opima sacra obtulit, juxta Pelopis tumulum Olympia quinquennalia instituit, sacrum lucum parenti maximo descripsit ac sepe cinxit, atque in spatio septo ad Alpheum flumen deorum duodecim majorum statuas posuit; regionis fastigium, quod etiam sub Oenomai imperio adpellationem desiderabat, ex Krono adpellavit, Olymp. XI, 29—71. VI, 109—119. Nem. XI, 34—36. Cf. Schol. ad 31. Praeter statuas illas poeta βωμοὺς ἓξ διδύμους (ab Hercule positos) memorat Ol. V, 10. cf. Schol. ad 8. et infer. Herodor. Eurysthei jussu aureis cornibus insignem, quam Taygeta dedicaverat Dianae Orthosiae, cervam venatum profectus est,

---

pugnam ipsam hic impius parabat, Apollod. I, 6, 2. §. 1. Schol. Lycophr. Cass. 63.), quem Hercules telis suis confecit, spectare existimo. Equidem non dubitarem illos versus ad Alcyoneum, quem Hercules ipso Pindaro teste Nem. IV, 44. Isthm. VI, 48. domuit, referre, si ille Alcyoneus apud poetam in Gigantibus eorumque cum diis pugna esset; vid. infra.

23) Campos Phlegraeos Pindarus aut in Thracia, aut in Pallene habuit; recentior fabula Campaniae Gigantomachiam attribuit; cf. Schol. ad Nem. I, 100. Encyclop. Herakl. p. 28. not. 233.

24) Carmen, ex quo fragmentum hoc reliquum est, Thebarum laudes celebravit. Cf. Schol. ad Pind. Nem. X, 1, qui cum Luciano primum carminis versum adfert.

25) Fragmentum, quod Porphyrius ad Hom. Il. κ, 252. adfert, aut Pindari non est, aut non ad Herculem pertinet. Cf. Schol. ad Pind. Ol. I, 127.

quam dum persequitur, ab Arcadia usque ad Istriam, ubi venator a Diana excipitur, et Hyperboreos pone septentrionem sitos [26]) penetrat. Olivam, cujus admiratione movetur, precibus ab Hyperboreis obtinet Olympiamque transportat, ut et umbram contra solis ardorem praebeat et virtutis coronam. Jovis enim arae et ludi jam antea ab Hercule constituti erant et Olympiorum celebritas ad Alpheum quinquennalis facta, Ol. III, 24—60. [Tenendum est, apud Pindarum cervae venationem post Augeae poenas et Olympia instituta haberi.] — Herculem quondam feroces Geryonis canes horruerunt, Isthm. I, 15. 16. Geryonem poeta laudatione dignum (prae Hercule) existimat, sed quae Jovi minus grata sint, ea prorsus mavult tacere; fragm. ex Pind. Dithyramb. apud Aristid. II, 52. Robur in omnibus dominatur, cujus rei testimonia sunt Herculis facta, cum non emta (suppl: Geryonis armenta abigeret); fragm. ap. Platon. in Gorgia p. 484. B. coll. Schol. ad Pind. Nem. IX, 35. Columnas Herculeas divinus heros extremae navigationis monimenta posuit, pelagi monstra domuit, vadorum fluctus indagavit terramque exploravit, Nem. III, 38—45. coll. Olymp. III. extr. et Isthm. IV, 95—98. Thebis Cadmeis quondam profectus est Hercules in Libyam triticiferam, ut Antaeum, qui ex peregrinantium capitibus abscissis Neptuno aedem exstruere parabat, coerceret, Isthm. IV, 90—93. Multa vulnera ejus (haut dubie Antaei) lateribus (Hercules) inflixit clavam vibrans; denique in altum sublati costas perfregit, ita ut ex ossibus medullae prorumperent; fragm. ἐκ τῶν Ὑποχρημάτων apud Erotian. sub *Αἰών*. — Taurorum corpora (Hercules) acervatim in carbones candentes injicit. Audiuntur carnium fremitus et suspiria, et (voracitate stimulante) temporis non multum consumit in separando (carnes, ossa et carbones, quae festinanter cuncta devorat), fragm. ap. Athen. X. p. 411. A Corono hospitio exceptus bovem totum devoravit, ut ne ossa quidem relinqueret, fragm. ap. Philostrat. Jmag. II, 24. — Evocatione ad expeditionem Colchicam a Jasone facta Hercules cum Dioscuris aliisque viris fortibus ad periculi societatem celeriter accedebat, Pyth. IV, 301 sq. — Adversus Trojam cum Hercule profecti sunt Aeaci filii, (Peleus et Telamon) urbemque everterunt, Isthm. V, 45—48; ac praecipue Telamonis, quem una cum Tirynthiis promtum belli comitem Hercules Trojam duxit ob Laomedontis delictum, insignis fuit opera in Pergamis expugnandis, idemque Telamon juxta Jolaum [27]) (in pugna) consistens, Laomedontem perdidit, Isthm. VI, 38—45. Nem. III, 61—63. IV, 40—42. Telamonem, cum Hercules ad expeditionem navalem (contra Laomedontem) invitaret, inter epulantes reperit. Hospiti praesenti, quem leonis pellis circumvolitabat, Telamon phialam auream vino repletam porrexit. Is vero continuo sublatis manibus prece Jovem patrem adiit, ut Telamoni (liberis carenti) fortem filium

26) Cf. Schol. ad Ol. III, 54. 55. Hyperboreos Pindarus habet pone Boream h. e. in supremo septentrione, ubi etiam Istri ei sunt fontes. Cf. Encyclop. Herakl. p. 18. not. 86.

27) De Jolai virtute ac nominatim in curru regendo dexteritate et rei equestris scientia cf. Isthm. I, 21 sq. VII, 12. Pyth. XI, 91 sq. add. Pyth. IX, 137 sq.

et pellis suae leoninae instar vulneribus inaccessum ex Eriboea nasci vellet. Prece accepta Jupiter aquila desuper ablegata adnuit; eo Hercules laetatus tanquam vates Telamoni vota modo facta rata haberi denuntiat, eumque orat, ut fortem futurum filium ex Aquila (*αἰετός*) Ajacem (*Αἴαντα*) adpellet. Quibus dictis Hercules consedit, Isthm. VI, 38—82. Idem Telamon contra Amazonas Herculis comes ac fortis commilito, Nem. III, 64—68. Post Trojae eversionem Meropas (in Co insula) hi ambo domuerunt, et Alcyoneum monti similem, bello formidolosum, quem in campis Phlegraeis offenderunt. In certamine contra hunc Hercules naviter arcum adhibuit. Nec tamen prius adversarium confecerunt, quam eorum duodecim quadrigas harumque moderatorum duplum numerum saxis ille conjectis comminuisset, Nem. IV, 40—49. Isthm. VI, 45—51. — Hercules cum in Orcum descendisset ad Cerberum educendum, obvius factus est Meleagro, Oenei filio, qui Dejanirae, sororis suae, connubium Herculi commendavit. Idcirco Hercules ab inferis redux in Aetoliam ire maturavit ad Oeneum. Sed cum comperisset, virginem Acheloo, fluvii proximi deo, esse desponsam, cum hoc matrimonii aemulo, qui tauri formam habuit, luctatus est, cornuque ejus altero evulso virginem victor accepit. Achelous vero cum ab Amalthea, Oceani filia, cornu accepisset idque Herculi tradidisset, a victore suum cornu recepisse traditur. Haec ex Pindaro refert Schol. ad Hom. Il. *φ*, 194. — Herculi ex Astydamia, Amyntoris filia, Tlepolemus natus est, Ol. VII, 36—43. Clavam vibrans ad Pylum cum Neptuno tridentigero pugnavit, item cum Apolline, qui arcu argenteo heroem impugnabat, nec non cum Plutone, qui contra eum movebat virgam, qua deducit mortalia corpora ad inferos, Ol. IX, 43—54. In pugna cum Cycno Hercules, quantumvis ferox esset, (initio) refugit, Ol. XI (X), 19. 20. — Alcumenae filius, postquam terras omnes ac maria profunda exploravit et freta in nautarum commodum domuit, in Olympum abiit, ubi apud Jovem, immortalibus gratus et acceptus, laetissima felicitate fruitur, Hebes dearum pulcherrimae conjux Junonisque gener, Isthm. IV, 94—103. Nem. X, 31—34. Cf. sup. Tiresiae vaticinium et Nem. III, 42—45. Leges Herculis supremas observat Pisa, atque etiam Pindari tempore ad festos dies victoriarum Olympicarum celebrandos (ut Therone Agrigentino victoriam, quam poeta canit, consecuto) Hercules adesse putatur una cum geminis Ledae filiis (Castore et Polluce), quibus in Olympum discedens agonis Olympici curam commisit, Nem. X, 60. 61 [28]). Ol. III, 61—67. cf. Schol. ad 61 sq. Herculi et filiis e Megara, Creontis filia, natis octo, qui aere interierunt (vid. sup.), cives Thebani pro porta Electra inter laetas epulas sacra (*ἔμπυρα*) faciunt, quorum flamma a vespere per totam noctem alitur, Isthm. IV, 104—113. Thebis Hercules aulam (fanum) habuit, in qua haut dubie etiam Amphitruonis sepulcrum, Nem. IV, 31—39. Urbis Spartae praefecti cum Mercurio et Hercule agonibus praesunt eosque moderantur, Nem. X, 97—99.

---

28) Quae sequuntur in vv. 61—64. (*ἀδεῖαί γε . . . . . κώμασαν*), ea ad Theaeum Argivum, quem carmen celebrat, non ad Herculem sunt referenda, quod apparet ex proxime sequentibus vv. 64—68. Opinio falsa me in fraudem istam impulit in Encyclop. Herakl. p. 34. not. 329.

Se amplecti fabulas antiquiores Pindarus pluribus locis ipse confirmat; atque Herculis imagines partim ab Homero et Hesiodo partim a recentioribus Pisandri et Stesichori commentis repetiit. Novam vero rei tractandae rationem hic poeta non iniit, praeter quod commenta quaedam, quorum origo aliunde ducenda est, ad Thebas suas referret; vid. infra de serpentibus. Sed illud tribui concedique potest ac debet, eum quamvis nescium omnium maxime extera cum domesticis contexuisse, inter Tyrium Aegyptiumque Herculem et Alcumenae filium societatem magis confirmasse et una cum Panyaside latiorem illum fabulae orbem, qui posteriore tempore fuit, constituisse et stabilivisse, vid. sup. Panyas. p. 20. — In iis, quae ante Herculem natum de Jove et Amphitruone, de Telebois devictis, dehinc de Alcumenae partu ipso memorat, Hesiodea commenta in eadem Boeotia orta Pindarus suscepit, vid. sup. p. 7. Serpentes vero ab infante necati Pindari aetatem prodere videntur; nam antiquiorum poetarum, quos cognovimus, nemo hanc rem attigit. Et Pindarus cum de hydra Lernaea nullam mentionem faciat, eum fabulam illam Peloponnesiam immutata paullum ejus indole ad Thebas Herculisque cunas transtulisse paene crediderim. Posteriores scriptores utramque serpentum memoriam pariter fabulae concedebant. Tiresiam acciri et ad Herculis cunabula vaticinari, non tam Pindaricum esse dixerim, quam omnino cum antiquissimis Thebarum fabulis convenire. Herculis contra Gigantas praestitum auxilium Pindarus primus memorat; vid. paullo infer. l. In Herculis persona et armatura describenda Pindarus nescio utris plura debeat, Homero et Hesiodo an Pisandro et Stesichoro; luctans certe Hercules junior est. Liberorum Megara natorum caedem Pindarus post Stesichorum (vid. sup. p. 23. cf. Panyas. p. 17.) memorat; tamen ei rei nondum certum in Herculis rebus locum adsignat. Sed Tragici, et nominatim Euripides, de quo infra, cruentam liberorum caedem post Herculis ex inferis reditum posuerunt; et posteriores scriptores hanc caedem cum priore Megarae commemoratione conjunxerunt, quo factum, quod saepe in fabulis fieri videmus, ut una res ad diversa tempora referretur; vid. Encyclop. Herakl. p. 16. not. 63. 64. p. 26. not. 199. Etiam de causa caedis illius, h. e. de vesania, nihil memorat Pindarus. Ea vero res primum in scena tractata videtur fuisse. Cf. infer. Euripid. et ad Herodor. Nam Cyclici poetae plane aliam sibi Herculis *μανίαν* videntur finxisse; vid. sup. p. 21. De liberorum interitu Megarae querelas exhibet Moschi Id. IV. Eurystheum, cujus post Homerum et Hesiodum memoria paene neglecta videtur, apud Pindarum reperimus; sed unum tantum laborem Herculi imperat, cervae venationem; nam leo Nemeus, quem Pisandri exemplo primum Pindarus *ἆθλον* fecit, jussus non dicitur. Poenas ab Augea et Molionidis repetitas Pindarus et Hecataeus, quem vide infra, primi memorant. Mercedis retentae Augeam reum facit poeta, sed cujus operis mercedem Herculi debuerit, neque apud hunc nec apud Hecataeum additur. Ni omnia me fallunt, stabulorum purgatio res est in poetarum Bucolicorum tempora reservata cf. Theocrit. Id. XXV. Hercules vero qui negotium tam luteum (cujus eum pudet apud Diod. IV, 13.) suscepit, non Graecus sed alienus, fortasse Aegyptiorum deus existimandus est. Olympiorum (cf. Stesi-

chor. p. 19. et Panyasis p. 23.) auctores ante Pindarum plures credebantur (Encyclop. Herakl. p. 29. n. 246); sed hoc potissimum poeta factum esse arbitror, ut horum ludorum per Herculem facta institutio postea fama praepolleret. Cf. Otfr. Mueller II. p. 445 sq. De statuis et aris deorum cf. infer. l. Herodor. De cerva et Hyperboreis supra satis dictum. Is Hercules, qui freta domat et per mare ad ultimum occidentem penetrat ibique navigationis extremae monimenta erigit, quas res Pindari mens haut dubie cum profectione contra Geryonem contexuit, utique Tyrii Herculis repercussa imago est, vid. sup. Hesiod. p. 11. Columnae Herculeae testes sunt, eo usque Phoenices, quorum dux Hercules s. *Μελίκαρθος* fuit, antiquiore aevo navibus suis penetrasse. Solis phialam poeta tacet. Hercules, qui in Libyam adversus Antaeum, (quem jam memoravit Pisander vid. sup. p. 14.) proficiscitur, eumque tollit, ortu suo Aegyptius est. Cf. Creuzer Symb. I. p. 326 sq. Otfr. Mueller II. p. 452. Idem consilium, quod apud Pindarum Antaeo, Cycno apud Stesichorum (vid. sup. p. 24.) adscribitur, ostendit, commenta nonnunquam ad varia loca et personas referri. Antaei memoria iterum obvia est in Pyth. IX, ubi etiam Irassae arcis et illius filiae poeta meminit. Hunc vero Antaeum cum Scholiasta ad 183. ob temporum distantiam plane alium et diversum esse ab illo judicet, qui cum Hercule luctatus sit, non multam antiquitatis doctrinam prodit; nam fabulae antiquiores non temporum certis finibus et discrimine terminandae et distinendae sunt [29]). Voracitas Herculis ingens et eximiis luctatoris viribus respondet et Stesichori rationes complet, qui Herculi parem in bibendo facultatem adscripserat; vid. sup. p. 23. Herculis voracitatem primi memorarunt Epicharmus, veteris comoediae poeta, in Busiride, Pindarus ll. cc. et Jon in Omphale, Pindarum secutus. Vid. Athen. lib. X. init. Jon Herculi ternos dentium ordines tribuit; vid. Heyn. Opusc. acad. V. p. 136. ad Philostrat. Imag. II, 24. Omnino Herculis ingens fames sitisque a poetis satyricis et comicis avidissime arrepta res est. Vid. Astydamas in Hercule Satyrico ap. Athen l. l. Eubulus in Amalthea ap. Athen. II. p. 63. Aristophan. Pax 742. Av. 568. (coll. Athen. X. p. 411. C.) 1689. et Ran. pluribus locis. Rhinthon in Hercule ap. Athen. XI. p. 500. Cf. Theocrit. Id. XXIV, 135. In fabulis scenicis Hercules nonnunquam dape defraudatus, Aristoph. Vesp. 60. Lysistrat. 928. Cf. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 193. Encyclop. Herakl. p. 24. not. 170. p. 31. not. 287. Argonautarum expeditioni Herculem interfuisse, ex poetis primus Pindarus planis verbis prodidit. Expeditio adversus Trojam et Laomedontem, cujus tamen delictum ex Pindaro non certum est, ad Homericam imaginem conficta est, isque Hercules, qui hanc rem suscepit, Graecam suam naturam non oppressit. Nam exercitum et Telamonem trajicit *χαλκοχάρμαν ἐς πόλεμον* et Pergama capit; quae justi belli sunt et vere militaris viri. Aeacidarum in hoc bello societatis prima apud Pindarum memoria (cf. infer. Hellanic. et Sophocl.); Telamonis hospitium Her-

---

29) Antaeus in Graecam scenam prodiit fabulis Phrynichi et Antiphanis, vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 316. 414.

culisque pro Ajace facta vota Magnae Eoeae jam protulerant; vid. sup. p. 7. Quamquam ista vota et vaticinatio, ut sunt apud Pindarum, pariter Pindarici ingenii solemnitatem produnt. Cujuscunque haec temporis et scriptoris sunt, omnino post eventum conficta res est, puto, et propter Ajacis ipsum nomen, quod ab αἰετὸς deductum esse simulabant, sed potius ex Aeaco, Ajacis avo, ducendum erat, et propter viri virtutem, quae tanta fuit in bello Troico, ut Herculis fortissimi optimis ominibus inaugurata videretur. Atqui ille Telamon, qui commilito contra Laomedontem fuerat, redeunti Herculi adfuisse et contra Meropas et Alcyoneum, quos utrosque Pindarus primus ab Hercule domitos refert [30]), auxiliatus esse merito credebatur. Alcyoneus Pindaricus ab illo, quem Hercules in Gigantomachia confecit, diversus habendus est. Nam singulare Herculis cum eo certamen Pindarus praedicat, non illud bellum, in quo omnes dii contra cunctos Gigantas adfuere. Cf. sup. not. 22. Sed cum hi duo Alcyonei confunderentur, factum est, ut postea Gigantomachia in Herculis a Troja reditione poneretur, vid. Apollod. II, 7, 1. Cf. Encyclop. Herakl. p. 28. not. 233. Jam vero hic Pindari Alcyoneus cum in campis Phlegraeis, qui in Thraciae aut Pallenes finibus ponendi sunt (vid. sup. not. 23.) versaretur, consentaneum est, Herculem et Telamonem a Troja redeuntes in adversam Thraciam aut Pallenen trajecisse et mari Aegaeo ad insulam Con devectos esse et Meropum opibus fractis inde in Peloponnesum rediisse, quam Herculis in Peloponnesum reditionem jam Homerus commemoravit, vid. sup. p. 2. Quamquam eo ipso poetae, qui utroque loco (Nem. IV, 40—49. Isthm. VI, 45—51.) Meropas fractos ante Alcyoneum memorat, narrationis fides videtur claudicare. Denique cum eundem Telamonem adversus Amazonas, quarum Pindarus et Theseidis poeta apud Plutarch. Thes. c. 28. primam in Herculis rebus faciunt mentionem, Herculis socium esse animadvertamus, fabulam posteriorem cum omnibus Herculis expeditionibus, quae ad orientem convertebant, hanc societatem contexuisse apparet. Herculis ad inferos profectionem ab Homero Pindarus petiit; de Dejanira vid. Pisander sup. p. 14; de Acheloo Archilochus p. 22; Meleagri commendatio et Amaltheae cornu (de quo vid. inf. Dionys. Milesius et Pherecydes) nova se nobis in fabula ostendunt. De Tlepolemi matre Pindarus, haut dubie antiquum Genealogiarum scriptorem secutus (Schol. ad Ol. VII, 42.), cum Homero dissentit, vid. sup. p. 2. Cf. Otfr. Mueller II. p. 421. Herculis ad Pylum certamen in fabula posteriore statim post Molionidarum et Augeae supplicium Olympiaque instituta ponebatur, vid. Appollodor. II, 7, 2. 3. Sed apud Pindarum res utraeque distant. Quod praeter Plutonem, Martem et Junonem, quos Homerus et Hesiodus habent (vid. sup. p. 2. et 8. cf. Panyas. p. 19.), nunc quoque Neptunum, cui Hesiodeus Hercules gratus fuit (vid. sup. p. 8.), et Apollinem ab Alcumenae filio impugnatos esse per Pindarum edocemur, ex eo intelligi potest, ad fabularum orbem tempore perpetuos cumulos

30) Homerus Herculem ad insulam Con, quam tenebant Meropes, ejectum esse narravit, sed Meropas ab eo domitos non meminerat, vid. sup. p. 2.

los accedere. De Cycno Pindarico jam diximus ad Stesichor. p. 25. In describenda Herculis apud superos felicitate Pindarus Homeri et Hesiodi vestigia pressit; sed quod Hercules ad victorias Olympicas perpetuo adesse et Spartae agonibus praeesse putatur, id novum plane apparet.

Sequitur BACCHYLIDES, in Eusebii Chronicis ad Olymp. LXXVIII. relatus. Hic poeta, ut est apud Schol. ad Hom. Od. φ, 295. Vulg., Eurytionem Centaurum ab eo, qui apud Homerum l. l. in Pirithoi nuptiis interemtus traditur, alium ac diversum esse voluit, nempe illum, qui Dexameni in Elide hospitio exceptus proterve hospitis filiam tentasset, et propterea ab Hercule opportune succurrente necatus esset. cf. Buttm. ad Schol. l. Eustath. ad Od. φ, p. 760. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 150. Otfr. Mueller II. p. 417. 418. Encyclop. Herakl. p. 19. n. 105. Haec Eurytionis injuria et poena primum apud Bacchyliden occurrunt [31]). — Alter locus est apud Athenaeum lib. IV. p. 178, ubi quatuor Bacchylidae versus adferuntur, Athenaei judicio ad Ceycis domum pertinentes, quorum sententia haec est: Hercules peregre adveniens in Ceycis aedium, in quibus convivium (haut dubie ob Ceycis nuptias, cf. sup. Hesiod. p. 9.) parabatur, limine constitit et dixit: Sua sponte (non vocati) justi probique viri ad honestorum virorum epulas opipare apparatas accedunt. Cf. Zenob. Prov. Cent. II, 19. — Ex his paucis nihil colligi potest, nisi huius poetae Musam, cum Herculis meminisset, maxime in ejus hospitiis versatam esse.

Ultimus ex poetis Lyricis hoc loco memorandus est ANTIMACHUS COLOPHONIUS, Panyasidis et Stesimbroti auditor; vid. Suid. Ἀντίμαχος. Ex pluribus carminibus, quae scripsit, huc pertinet ejus Lyde, elegia praestantissima, quae quo fuerit consilio et fine scripta, egregie nos docet Plutarchus de Consolatione, Tom. II. p. 106. Cf. Athen. XIII. p. 596. F. 597. A. 598. A. B. add. C. G. Mueller de Cyclo epico p. 82. — Apud Apollonii Schol. I, 1290. Antimachus in hoc carmine Herculem ob ingentem corporis molem et imparem Argonautarum navigii facultatem in terram egredi coactum esse scripsisse dicitur; quam fabulam postea receperunt Pherecydes et Posidippus. Cf. sup. p. 9. et infer. Pherecyd. et Herodot. — Ex eadem Lyde esse arbitror et ad Herculem circa Erythiam versantem pertinere quodam modo existimo versus, quos adfert Athenaeus lib. XI. p. 469, quorum sententia haec est: Sol ab illustri Erythia in pulcra patera (ab Hercule recepta) redibat (suppl: ad Noctis sedes, ad matrem, conjugem et liberos; ut certum est ex Stesichori versibus antecedentibus apud eundem Athenaeum l. l.). Vid. Casaub. ad h. l. — Antimachum in versibus suis Arionem equum memorasse testificatur Pausanias lib. VIII. c. 25. p. 651. cf. sup. p. 9 et p. 21. — Praeterea in Lyde insignes partes Argonautis fuisse concessas constat; Schol. ad Apollon. II, 296. 297. et ad I, 211, ubi memorantur Strophades insulae, et Zetes et Calais Boreadae,

---

31) Dexamenus in scenam productus est a poetis Cleophonte, Jophonte et Timocle. Vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 293. 308. 503.

quos Antimachus in Argonautarum censu habuit; sed de ratione, quae cum Hercule iis fuerit (vid. inferiore loco Acusilaus et Encyclop. Herakl. p. 20. n. 127. p. 25. n. 194.), nihil additur. Cf. Apollonii Schol. ad III, 409. Schol. Pind. Pyth. IV, 398. Apollonii Schol. ad IV, 259. 1153. Ab his aliena tractant ex Lyde versus, quos adferunt Schol. ad Eurip. Phoen. 44. ad Orest. 392. add. Suid. et Phot. Lex. Ὀργεῶνες.

Poesis ubique prior, sequi solet historia. Graecorum historici antiquiores pedestri oratione sumpta cum rebus gestis etiam fabulas amplexi sunt, quapropter λογογράφοι dicuntur. Cf. Strab. I. p. 34 (18). Idem VIII. p. 524 (341): *Πολλὰ μὲν οὖν καὶ μὴ ὄντα λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι συγγραφεῖς, συντεθραμμένοι τῷ ψεύδει διὰ τῆς μυθογραφίας· διὰ δὲ τοῦτο καὶ οὐχ ὁμολογοῦσι πρὸς ἀλλήλους περὶ τῶν αὐτῶν.* Diodorus Sic. lib. I. c. 37: *Οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Ἑλλάνικον καὶ Κάδμον, ἔτι δ᾽ Ἑκαταῖον, καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι, παλαιοὶ παντάπασιν ὄντες, εἰς τὰς μυθώδεις ἀποφάσεις ἀπέκλιναν.* Nec tamen temere et inconsiderate Graecorum primi historici sua ex hominum rumoribus poetarumque commentis acceperunt, sed quae apud Diodorum l. l. in sequentibus verbis Herodoti maxima laus est, ab hoc scriptore rerum traditarum rationem reddi, eam sibi haut pauci ante hunc deposcere videantur. Herculis nomen et res coluerunt Acusilaus, Hecataeus, Dionysius Milesius, Charon, Hellanicus, Pherecydes, ipse Herodotus, Herodorus, Ephorus.

ACUSILAUS ARGIVUS, Suidae judicio antiquissimus historicus [32]), paullo ante Persarum contra Graecos expeditionem vixit; vid. Joseph. contra Apion. I. p. 1034. ex eo Eusebius in Praeparat. Evang. X, 7. p. 478. Cf. Voss. de Histor. Gr. IV. c. 2. p. 436. Heyn. Index scriptorum ab Apollodoro laudatt. Acusilai fragmenta collegit Sturzius ad calcem fragmentorum Pherecydis. Laudantur ejus Genealogiae, ex quibus ad rem nostram haec pertinent: Acusilaus scripsit de tauro Cretensi, quem Hercules adferre jussus erat, eumque taurum pro illo ipso habuit, qui Jovis voluntate Europam virginem per mare trajecit; Apollod. II, 5, 7. §. 1. Haec prima de tauro Cretensi memoria in Herculis rebus. — Boreadae, Zetes et Calais, Acusilai testimonio ab Hercule ad Tenum insulam interfecti sunt; Apollod. III, 15, 2. §. 2, ad quem locum vid. Heyn. Obss. Cf. Schol. ad Hom. Od. ξ, 533. Hic quoque Boreadarum per Herculem interitus primum per hunc scriptorem adlatus; cf. sup. Antimachus. — Telephus, Herculis ex Auge filius, quem memoravit teste Schol. Hom. Od. λ, 520, apud Archilochum poetam jam obvius; vid. sup. p. 22.

De HECATAEO MILESIO videndus est Creuzer in Historicorum Graecorum antiquissimorum Fragmentis. Hic Hecataeus λογοποιὸς floruit sub Dario Hystasp. belli Jonici initio, h. e. Olymp. LXIX. anno primo. Herodotus eo junior fuit, quod notat Suidas. — Hecataeum cum poetis et vetustarum fabularum scriptoribus hydram Lernaeam, quam Hercules domuit (*τὸν ἆθλον τὸν Ἡράκλειον*), celebrasse cognosci potest ex Aelian. Histor. Anim. IX, 23. Creuzer p. 49. 50. — Aprum Hecataeus in monte (Ery-

32) Vulgo Cadmus Milesius eo antiquior putatur.

mantho) collocaverat, et Psophidios (dicti sunt ab Arcadiae urbe Psophide) multa ab eo passos esse tradiderat *γενεαλογιῶν δευτέρῳ*, vid. Steph. Byz. *Ψωφίς*. Creuzer p. 47. — Geryonem, adversus quem Hercules Argivus ab Eurystheo missus est, ut illius armenta Mycenas abigeret, nihil ad Iberorum locos pertinere Hecataeus tradidit; neque ad insulam ullam Erythiam extra oceanum (*ἔξω τῆς μεγάλης θαλάσσης*) Herculem missum esse; sed continentis terrae, quae circa Ambraciam et Amphilochos est, Geryonem regem fuisse, atque hanc terram continentem esse, ex qua Hercules, qui etiam vel hujus periculi gravitatem sentiret, boves illas abegisset. Haec sunt apud Arrian. de Exped. Alex. lib. II. p. 126. ed. Blancard. cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. 558. Creuzer p. 50—52. — Fabulam de Plutonis cane ab Hecataeo sic explicatam esse legimus apud Pausaniam lib. III. c. 25. p. 275: Hecataeus Milesius rem non absurdam commentus ad Taenarum serpentem immanem cubile habuisse ait, eamque bestiam idcirco *ᾅδου κύνα* dictum esse, quod morsum e vestigio veneno pestifero interire oportuisset; eum serpentem ab Hercule ad Eurystheum pertractum esse. Creuzer p. 47. 48. — Apud Pausaniam lib. IV. c. 2. p. 283. Hecataeus *ἐν Σκίῳ* [33]) partem Eretrici agri esse Oechaliam scripsisse traditur. Creuzer p. 53. — Epeos Hecataeus diversos esse judicavit ab Eleis; Epeos quippe cum Hercule contra Augeam pugnasse cum eoque Augeam atque Elidem perdidisse; Strab. VIII. p. 524 (341). Creuzer p. 61. — Nec Augen, Alei filiam, ab Hercule compressam silentio praeteriit Hecataeus, quod docet Pausanias lib. VIII. c. 4. p. 606. his fere adlatis: Cum ea Auge, quod scriptum Hecataeus reliquit, Hercules concubuit, cum Tegeam venisset. Denique cum palam fieret, illam ex Hercule peperisse, Aleus matrem una cum filio in arcam conclusos mari commisit; quae arca undis delata est ad Teuthrantem, agrorum ad Caicum amnem dominum, qui amore incensus mulierem in domesticum usum et consuetudinem excepit. Idem Pausanias c. 47. p. 696, ubi agitur de fonte ad templum Minervae Aleae, ad eam templi, ait, partem, quae est ad septentrionem, fons est, ad quem fontem stupratam esse ferunt Augen ab Hercule, quod discrepat ab iis, quae Hecataeus hac de re memoriae prodidit. Creuzer p. 48. 49. — Denique de Ceyce et Heraclidis addi potest Hecataei locus apud Longinum, Sect. XXVII. p. 100. ed. Toup. Creuzer p. 54. cf. Apollod. II. c. 8. init.

Hecataeum non insipienter ex commentis superioribus hausisse, sed mentem et judicium ad res attulisse, probabiliora appetiisse, fabulae fines continuisse, etiam ex paucis quae supersunt, fragmentis apparet. Neque vero adstipulari possum Creuzero, qui uno illo loco apud Steph. Byz., ubi Hecataeus citatur *γενεαλογιῶν δευτέρῳ*, adductus omnia ad Herculem pertinentia, quae passim scriptores ex Hecataeo depromant, in eo *γενεαλογιῶν* opere fuisse sibi persuasit. Id enim opus cum praeter illum Stephani locum nusquam in ceterarum Herculis rerum narratione laudetur, tum Pausaniae ille locus, qui Hecataeum

---

33) Hoc *ἐν Σκίῳ* quid sit, obscurum est. Doctorum conjecturas vid. ap. Creuz. l. l. n. 43.

profert de Oechalia commemorantem, ab qua commemoratione Herculis illic gesta vix abfuerunt, planum facit, Hecataeum etiam in aliis libris de Hercule egisse. Namque illud ἐν Σκίῳ quantumvis corruptum sit, nullo tamen modo ex γενεαλογιῶν corrupta scriptura nasci potuit. Vide quomodo se ipse impugnet idem hic Creuzerus (p. 61—63.) ad Strabonis locum supra adlatum. His de caussis ego statuo, Hecataeum non in uno opere, sed passim in pluribus, ubi res ferret, nec ordine quodam et continuatione, sed carptim Herculis res memorasse. — Hydram Lernaeam petere Hecataeus potuit ab Hesiodo, Pisandro et Alcaeo; vid. sup. p. 6. 14. 22. Apri vero Erymanthii commemorationem certam primus nobis Hecataeus adfert, sed ne apud hunc quidem scriptorem eam rem conjunctam conspicimus cum Pholi hospitio; cf. sup. Pisand. p. 15. Panyas. p. 18. — Maxime Hecataei judicium et fabulae coarctandae studium elucet ex iis, quae de Geryone et Plutonis cane tradidit. Geryonem in Graeciae ipsis locis circa Ambraciam et Amphilochos posuit. Atqui Argivus s. Graecus Hercules contra Geryonem nunquam profectus est; vid. sup. Hesiod. p. 11. Jam vero eam famam, quae Geryonem et Erythiam in multa locorum et maris longinquitate collocavit, Hecataei opinione esse multo antiquiorem, nemo negabit, qui Hesiodum et Stesichorum aetate hoc esse superiores concesserit; vid. sup. p. 6. et 23. Obscurari tamen non poterit, postea apud Graecos etiam aliam famam valuisse, qua Geryon et Erythia ad Graeciae septentrionalis oram occidentalem traherentur, idque satis confirmatur loco quantumvis corrupto Scylacis in Peripl. Ἰλλύριοι p. 23. ed. Gronov. Geograph. Graec. minor. ed. Gail. Vol. I. p. 252. cf. Gail. adnotat. ad l. l. Cujus confictionis non ineptam rationem adhibet Arrianus l. l.; meminit illorum locorum pinguia pascua et opima armenta. Hoc igitur recentius commentum, sive ipse primus protulit, sive prolatum jam reperit, Hecataeus, qui antiquiora illa Graeci Herculis naturam et facultatem excedere animadvertisset, coluit. Aliter statuit Otfr. Mueller II. p. 422 sq. — Plutonis canem in inferis collocavit Homerus, sed, quo Hercules loco descendisset, non prodidit; vid. sup. p. 2. 3. Ea vero fama, quae maxime per Tragicos culta est (vid. infer. Sophocl. et Euripid.), Herculem per Taenari fauces ad inferos penetrasse, haut dubie jam Hecataeo nota fuit. Hanc famam scriptor suscepit, sed non omnem, et ita, ut Hercules non ultra Taenarum progrederetur. Ergo illud monstrum ibidem collocari necesse erat et fingi sic, ut apte versari posset sub hac luce. Fit serpens ingens per Hecataeum Plutonis canis, quam imaginem monstri ipsa natura non respuit. Primum enim et serpens esse solet perniciosus, et Plutonis canis pestifero veneno infectus fingebatur; haec ipsa insunt in Hecataei explicatione. Deinde cum Orci custos cauda draconis variisque serpentum in tergo surgentium cervicibus terreret (cf. Apollod. II, 5, 12.), quod sine dubio jam Hecataei temporibus fuit notum susceptumque, tantam serpentis similitudinem offerebat, ut scriptor, qui probabiliora captaret, non religioni haberet, tetrum hoc animal omne in serpentem horrendum convertere. Accedit quod Cerberus ab omni antiquitate cum serpente Lernaeo unius parentis foetus existimabatur; Hesiod. Theog. 310 sq. De fabulae posteriore infirmatione et immutatione vid. Plut. Thes. c. 35. Philochorus ap. Euseb. Χρονικ. λογ. πρωτ.

p. 30. et in *Χρονικ. καν.* p. 117. Syncell. Chr. p. 158. C. Aelian. Var. Hist. IV, 5. Palaephat. de Incredib. c. 40. Cf. Otfr. Mueller II. p. 419. 420. — Ex Pausaniae loco IV. c. 2. illud tantum planum fieri potest, Hecataeum Oechaliae situm accurate definisse. Cf. Sturz. Pherecyd. fr. 46. De pugna contra Augeam vid. sup. p. 27. Epeos et Eleos pro iisdem habuit Pindarus, qui Augeam Epeorum regem diceret; vid. sup. p. 27; utrosque accurate distinguit Hecataeus, de quo vid. Strab. ad l. l. — Telephum, Herculis ex Auge filium, celebrarunt Archilochus et Acusilaus, vid. sup. p. 22. 34. Sed quae fabula legitur apud Apollod. II, 7, 4. III, 9, 1, ejus fundamenta sine dubio ab Hecataei historia petenda sunt. Rem recepit etiam Euripides vid. inf. cf. Creuzer. p. 49. not. 37. Eam vero de Auge et Telepho fabulam singulari ac nova ratione ab Hecataeo tractatam esse, confirmant alterius apud Pausaniam loci verba *οὐχ ὁμολογοῦντες Ἑκαταίῳ τὰ ἐς αὐτήν.*

DIONYSIUS MILESIUS, qui apud Schol. Apollon. I, 1290. falso dicitur Mitylenaeus, vixit Olymp. LXV. Vid. Suid. *Ἑκαταῖος.* Is Dionysius Herculis memoriam in Argonautarum et Bacchi rebus, quas scripsit [34]), attulit. Namque Herculem Argonautarum ducem edidit, teste Apollodoro I, 9, 19. § 7. et, ut est apud Apollonii Scholiastam l. l., eum una cum fortissimis viris Colchos usque navigasse et Jasoni in aucupanda Medeae gratia (leg. pro *τοῖς - τὰ περὶ Μήδειαν*) auxiliatum esse tradidit. Cf. infra de Hellanico. Dionysium hac in re secuti sunt Demaratus, qui Philippi et Alexandri temporibus fuit (vid. Schol. Apollon. et Apollod. ll. cc.), et Diodorus lib. IV. c. 40. 41. Idem Dionysius Phineum ab Hercule sublatum esse narravit. Hercules enim, ubi conspexit Phinei filios auxilio orbatos et comperit, eos a patre esse repudiatos uxoris Scythicae, quam Phineus Cleopatra rejecta duxerat, criminatione, et cum Phinei ipse maximus natu filius apud Herculem accusator exstitisset, cognita caussa innocentes filios in patris domum restituit. Cui restitutioni cum Phineus obsisteret et liberorum alterum in mare praecipitare pararet, Herculis ictu periit. Haec sunt ap. Apollonii Schol. II, 207, ubi pro *ἐν τοῖς Ἀργοναύταις* legendum esse censeo *ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς.* Cf. infer. Hellanic. et Pherecydes. E Dionysio magnam partem sua habet Diodorus IV, 43. 44 [35]). Iphin, qui ab Aeete interemtus est, et ejus patrem Sthenelum fratremque Eurystheum e Dionysio Milesio memorat idem Scholiasta ad IV, 223. 228. — In Bacchi historia Dionysius Herculem cum Thamyri et Orpheo Lini disciplina usum esse scripserat, et citharam amplexum esse, sed ingenii tarditate institutionem capere non potuisse; tum Lini plagis concussum ita ira exarsisse, ut citharae ictu magistrum interficeret; Diodor. III, 66. Haec nova sunt in fabula. E Dionysio descripsit Apollodorus II, 4, 9. Cf. Encyclop. Herakl. p. 14. not. 43. 44. et infer. Herodor. Ea quoque, quae Diodorus c. 67. de Amaltheae cornu refert, a Dionysio petita sunt; cf. sup. Pindar. p. 29. et infer. Pherecyd. —

---

34) Diodor. III. c. 51. ibique Wessel. et c. 65.

35) Phineus Theopompi fabula; Athen. XIV. p. 649.

Neque tamen, cum Dionysius Bacchum scriberet ejusque in Indiam expeditiones bellaque ibi gesta (cf. Schol. Apollon. II, 904.), ad Indos Herculem quoque misit. Etenim de Hercule Indico commenta non supra Alexandri Magni aetatem repetenda sunt; Encyclop. Herakl. p. 10. 40. F. — Denique Dionysius de Amazonibus scripsit, quas, cum in Libya collocaret, Herculis rationibus non videtur implicuisse; Schol. Apollon. II, 965.

Post hunc Dionysium spectandus videtur DIONYSIUS CYCLOGRAPHUS, quorum personas saepe confuderint. Sed Dionysius Cyclographus cum Euripide aut post Euripidis tempora vixit; vid. C. G. Mueller de Cyclo epico p. 19 sq. Is scriptor in libro primo Herculis res adduxit, quod apparet ex Schol. ad Pindar. Isthm. IV, 104: *Διονύσιος ἐν πρώτῳ κύκλων* (leg. *κύκλου*) *Θηρίμαχον καὶ Δηϊκόωντα. Εὐριπίδης δὲ προςτίθησιν αὐτοῖς καὶ Ἀριστόδημον.* De Herculis liberis sermo est. Porro hic Dionysius Scyllam ab Hercule, cum a Geryone rediret, interfectam sed a patre (Phorcyne) igne ad vitam revocatam esse tradidit; Schol. Vulg. ad Hom. Od. *μ*, 85, ubi *Διονυσίῳ* pro *Διονύσῳ* scribendum. Cf. Schol. ad Lycophr. 45. Mueller l. l. p. 23.

CHARON LAMPSACENUS floruit circ. Olymp. LXXV. Vid. Creuzer Historicorum Graecc. Fragmm. p. 89 sq. Apud Athenaeum lib. XI. p. 475. Charon *ἐν τοῖς Ὅροις* ait, etiam sua aetate demonstrari apud Lacedaemonios *τὸ δέπας*, quod Alcumenae Jupiter dono dedisset, cum facie vultuque Amphitruonis adsumpto ad hanc mulierem adiisset. Creuzer p. 123. Quod *δέπας* considerabimus infra in Pherecydeis [36]).

De HELLANICO LESBIO s. MITYLENAEO docte et copiose exposuit F. G. Sturz ad ejus collecta Fragmenta, edit. alt. 1826. Natus est hic Hellanicus, quantum ex Pamphilae loco in Gellii Noct. Att. XV, 23. servato expediri potest, XII. ante Herodotum, XXV. ante Thucydidem anno, h. e. si Simsoni (Chronic. cathol. p. 702. ed. Wesseling.) numeros sequimur, Olymp. LXXI, 1. — In decimo *Φορωνίδος* libro Hellanicum, cum Stephanephori meminisset, ceterorum quoque filiorum, qui ex Thestii s. Thespii filiabus Herculi nati sunt, memoriam attulisse, probabile est ex Harpocrat. *Στεφανηφόρος.* cf. Suid. et Photii Lexic. h. v. Sturz. fr. 20. — Apud Schol. Platon. (ad Phaedon. T. I. Opp. p. 89. C.) p. 11. ed. Ruhnken. Hellanicus cum Herodoro tradidisse memoratur, in Herculem, cum hydram tolleret, Junonem cancrum immisisse: quibus bestiis duabus cum non par fuisset, Herculem Jolai auxilium arcessivisse, unde illud *Πρὸς δύο οὐδ᾽ ὁ Ἡρακλῆς.* Cf. Platon. T. II. Opp. p. 919. B. Sturz. fr. 84. b. — De Stymphalidis Hellanicus similia tradidit ac Pherecydes (vid. infra), ut est apud Schol. Apollon. II, 1054; nec tamen omnia eadem. Etenim Pherecydes cum *τὴν πλαταγὴν* s. *τὸ κρόταλον* Herculi datum esse scripsisset (Schol. Apollon. l. l.), aliis a Vulcano illud fabricatum esse narrantibus, contra hos omnes dixit Hellanicus, Herculem ipsum

---

36) Eodem fere tempore, quo Charon, vixit Xanthus Lydius (vid. Creuz. l. l. p. 138.) a Xantho Lyrico diversus; cf. sup. p. 22. Is cum scripsisset *Λυδιακῶν* quatuor libros, ex his ne unam quidem de Hercule et Omphale mentionem superesse mirabile dictu est.

sibi illud instrumentum confecisse contendens; Schol. Apollon. II, 1056. Sturz. fr. 88. — Abderum [37]), Mercurii [38]) filium, qui Herculi in amore fuisset, a Diomedis equabus divulsum esse, et Abderam, Thraciae urbem, ab hoc puero nomen duxisse, Hellanicus cum aliis scripserat; Steph. Byz. Ἄβδηρα. Sturz. fr. 108. — Herculem prius quam Theseum contra Amazonas profectum esse, cum Pherecyde et Herodoro statuit Hellanicus; Plutarch. Thes. p. 12. A. (c. 26). Sturz. fr. 92. Sed Hellanicus omnes una Argonautas cum Hercule hanc expeditionem fecisse scripsit, in quo dissentit a Pherecyde et Herodoro (vid. infra); Schol. Pind. Nem. III, 64. Sturz. fr. 118. — Apud Schol. Hom. Il. υ, 145. ex Hellanici narratione adferuntur haec: Neptunus perfido Laomedonti iratus cum monstrum marinum misisset, quod et homines obvios et fructus exstinxit, regi, si Hesionen filiam monstro escam exposuisset, a pernicie liberationem fore, oraculum nuntiavit. Hic oraculo satisfecit, sed illi, qui monstrum tolleret, immortales equos, quos Troi Jupiter pro Ganymede dederat, facinoris futurum praemium proposuit. Jam Hercules cum accessisset, laborem se suscepturum esse pollicitus, postquam ei Minerva propugnaculum exstruxit, per fauces in monstri ventrem irrupit ejusque ilia perdidit. Laomedon vero mente mutata cum mortales equos dedisset, Hercules bellum legit, Jlium evertit, et ita equos illos accepit. Sturz. fr. 137. Cum his conjungenda sunt, quae habet Tzetza ad Lycophr. 469, tradere Hellanicum, antequam Hercules in urbem Trojam penetrasset, Telamonem perfracta moenium parte in urbem invasisse. Herculem gladium contra Telamonem eduxisse; hunc ferocitatis caussa perspecta saxorum circa illum acervum collegisse, et, quid hoc, quaerenti, se in eo esse, ut aram Herculis Alexicaci exstrueret, respondisse, eoque invidiam et iram sedasse et Hesionen, ab aliis Theaniram dictam, virtutis praemium ab Hercule nactum esse. Sturz. fr. 138. Accedant ea, quae refert Fulgentius in Mytholog. I, 2. p. 36. ed. Muncker. his verbis: Theopompus in Cypriaco carmine, et Hellanicus in Dios polytychia, quam descripsit, ait Junonem ab Jove vinctam catenis aureis, et degravatam incudibus ferreis. Sturz. fr. 39. — De Herculis adversus Geryonem profectione vel potius ejus inde reditione scripsisse Hellanicus memoratur sic: Herculem Geryonis boves Argos abigentem, cum in Italia, quam terram obiret, juvencus ex grege aufugisset, et ora peragrata per fretum in Siciliam trajecisset, regionis incolas, ad quos in persequendo Hercules venisset, num quis illum vidisset, assidue rogitasse. Qui cum linguam Graecam parum novissent, et ex notis, quibus ille juvencum a se quaeri significaret [39]), suo sermone vitulum (*οὐΐτουλον*) adpellassent, totam illam regionem, quam juvencus percucurrisset, Herculem ex eo Vitaliam (*Οὐϊταλίαν*) dixisse; vid. Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. lib. I. p. 28. ed. Sylb. Sturz. fr. 107. — Stephanus Byz.

---

37) Apud. Steph. l. l. pro *Ἀβδηρίτου* scribendum est *Ἀβδήρου*.

38) Pro *Ἠρίμου* ex libris *Ἑρμοῦ* revocavit Heyn. Vid. Obss. ad Apollod. p. 152.

39) *Κατὰ τὰς μηνύσεις τοῦ ζώου.*

(Ἀκέλη) Acelam, Lyciae urbem, dictam esse suspicatur ex Acello, Herculis filio et Malidis, quae fuisset Omphales serva: ὡς Ἑλλάνικος .... Ἑλλάνικος δ' εἶπεν, εἰς πόλιν Ἀκέλην. ἐχρῆν γὰρ Ἀκέλητα εἶναι. Sturz. fr. 111. — Apud Athenaeum lib. IX. p. 410. Hellanicus puerum illum, qui Herculi aquam ad manus lavandas ministravit et ejus pugno periit, quam ob caussam interfector Calydone discessit, in Historiis Archiam dixisse refertur, eundem vero in Phoronidis secundo libro Cheriam. Sturz. Commentat. de Hellanico §. 4. — Schol. Apollon. I, 131. et Phavorin: Ὕλας, Ἡρακλέους ἐρώμενος, υἱὸς Θεοδάμαντος (Schol. Paris. Θειοδάμαντος) τοῦ Δρύοπος (Dryopum regis [40]). οὕτω Μνασέας. Ἑλλάνικος δὲ Θειομένητα Θειοδάμαντος καλεῖ. Sturz. fr. 84. — An Phineum, Agenoris filium, quem Hellanicus Paphlagoniae regem dixit, aliis in Thracia hominem collocantibus (Apollod. I, 9, 21. Diodor. IV, 43. cf. Schol. Apollon. II, 181.), hic scriptor ab Hercule inter Argonautas versante interemtum esse tradiderit, ex Schol. Apollon. II, 178. coll. Phavorin. non planum est. Sturz. fr. 83.

Otfr. Muellerus, vir egregio et multa doctrina aucto ingenio, cum Pherecydes potissimum ad antiquiorum poetarum fidem Herculis fabulam narraret, Hellanicum majore licentia eam ad historicas et geographicas res accommodasse ex utriusque reliquiarum parte, quae huc pertineat, apparere arbitratur; III. p. 470. In quo consentire equidem non possum. Primum enim fabulas ex antiquioribus poetis haurire, non unius Pherecydis, sed omnium primae aetatis historicorum atque ipsius Hellanici est. Deinde ex fragmentis, quorum pauca Hellanici exstant, plura et uberiora Pherecydis, et hunc non raro a poetis recedere et in multis illum poetis auscultare cum rebus ipsis certum est. Porro major illa licentia, qua fabulam Hellanicus ad historicas et geographicas res accommodarit, quae sit, vix possum suspicari. Namque multo plura geographica et historica in fabula eminent Pherecydis, qui fabulae orbem ampliorem coleret et ad eam amplificandam et immutandam omnem multo plus valuisse videatur. Alterum, quod in ejusdem viri libro praeclaro reprehendam, audax illa est conjectura, Hellanicum primum esse, qui Herculis res ad temporum rationem et ordinem composuerit, idque fecisse in libro inscripto Ἱέρειαι τῆς Ἥρας. Sed in illis fragmentis, quae ex libro deperdito exstant (Sturz. fr. 43—51. add. 124.), ne tantilla quidem fit Herculis rerum mentio. Neque ea, quam effert infima Tabula Farnes., ratio chronologica *ΗΡΑΣ ΑΡΓΕΙΑΣ ΙΕΡΕΙΑ ΑΔΜΑΤΑ ΕΥΡΥΣΘΕΩΣ ΚΑΙ ΑΔΜΑΤΑΣ ΤΑΣ ΑΜΦΙΔΑΜΑΝΤΟΣ ΕΤΗ ΝΗ* conjecturae istius audaciam satis tutatur; nec Herodoti adlatus locus (II, 145.), qui rationes chronologicas jam ante Herodotum adhibitas esse ostendit, ullam caussam idoneam adfert, quapropter ab Hellanico Herculis rebus temporum rationem exortam esse existimemus. Libentissime vero admitto et comprobo, quae idem profert Muellerus, Hellanicum Herculis gesta non ordine quodam et continuatione proposuisse (quod ipsum vide-

40) Cf. Schol. Callimachi ad hymn. in Dian. 161.

videtur quodammodo pugnare contra eam viri sententiam, quam modo perstrinximus); sed passim tantum, ubi res tulissent, in narratione sua eorum mentionem fecisse. — Thestii filios Hellanico antiquior fabula nondum attigit; quinquaginta fuisse primus refert Herodorus, quem vide inferiore loco et Ephorum. Omnino illa, quae leguntur apud Apollodorum II, 4, 9—12. recentiora habenda sunt. Stephanephorus iste non aliunde notus est, neque apud Apollodorum II, 7, 8. in Herculis liberorum recensu occurrit. Cf. Meurs. Lectt. Att. 4, 10. T. II. Opp. p. 1159. et in Gronov. Thes. T. V. p. 1870. — De hydra vid. sup. ad Hecataeum p. 36. Cancrum addidit Panyasis, cujus Hellanicus aequalis. Ea, quae refert Apollodorus II, 5, 2, haut dubie ex Hellanico et Herodoro deprompta sunt. Namque Apollodorus Hellanicum, etsi non nominat, de nonnullis tamen videtur consuluisse; Schol. Pind. Olymp. IX, 64. De illius *Πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς* caussa et occasione veterum sententiae variarunt. Cf. infra Pherecyd. Sturz ad Dion. Cass. Vol. VII. p. 448. et Zenob. proverbb. V, 49. Cum Hellanico facit Plato in Euthydemo T. I. Opp. p. 297. C. — Stymphalidarum et crotalorum mentionem primam fecit Pisander; hunc secuti Hellanicus et Pherecydes, sed ita, ut de crepitaculi ortu dissentirent, quod jam notavimus. Pherecydis apud Apollodorum II, 5, 6, Hellanici apud Diodorum IV, 13. auctoritas videtur valere. — Diomedis equarum et Abderi dilaniati haec prima apud Hellanicum commemoratio, quam coluit Apollodorus II, 5, 8. cf. inf. Ephorus. — Non modo Herculis cum Argonautis societatem, sed ejusdem contra Amazonas expeditionem Pindarus praedicavit; sed utraque distinuit, cf. Dionys. Miles. p. 37. Jam vero Hellanicus cum omnes Argonautas (non Telamonem unum, quem habet Pindarus) adversus Amazonas expeditionis populares faciat, Hellanici aetas facile ea est, quae utrasque res ob locorum, in quibus et Herculi et Argonautis agendum fuit, vicinitatem colligaverit. Sed etiam postea non defuerunt, qui Herculem ab illa Argonautarum societate arcerent, in quorum numero sunt Pherecydes, Herodorus et Ephorus. Ex fama idem refert Herodotus; vid. infra. Theseum vero post Herculem contra Amazonas profectum esse, Hellanicus contendit cum Pherecyde et Herodoro. Sed ea fama, quam alii, ut Euripides (vid. infra) et Philochorus (ap. Plutarch. Thes. c. 26.) et Phidias (in signo Jovis Olympici; Pausan. V, 11. p. 401.) receperunt et expresserunt, Theseum Herculeae expeditioni interfuisse, haut dubie jam ante Hellanicum valuit, quod tum ex hac trium illorum virorum ipsa contentione suspiciosum est, tum confirmatur iis, quae ex Theseide quadam adfert Plutarchus in Thes. c. 28. — Eorum, quae apud Schol. Hom. Il. *υ*, 145. referuntur, potissima ex Homero ipso Hellanicus depromere potuit; vid. sup. p. 2. Cum Hellanico in universum consentit Apollodori narratio II, 5, 9. §. 9—12; exiguam horum duorum discrepantiam jam consideremus. Cf. Sturz p. 162. Expositam esse Hesionen simpliciter narrat Hellanicus; ad saxa prope mare adligatam refert Apollodorus. Equos illos (cf. Hom. Il. *ε*, 265 sq.) fuisse immortales tradit unus Hellanicus. Apud eundem equorum promissio ultro facta memoratur a Laomedonte; apud juniorem scriptorem Hercules ipse ante Hesiones susceptam liberationem sibi equos paciscitur; quam diversitatem fovere potuit Homeri non satis definitus locus *οὐδ' ἀπέ-*

δωχ' ἵππους, ὧν εἵνεκα τηλόθεν ἦλθε, Il. ε, 651. Porro illud τεῖχος ἀμφίχυτον solus ex Homero (Il. υ, 145.) recepit Hellanicus; quod τεῖχος apud Homerum Troes et Minerva exstruxerunt, apud Hellanicum una haec dea. Neque Herculem in monstri ventrem penetrasse, Apollodorus cum Hellanico credidit. Denique apud Apollodorum est, Laomedontem perfidum mercedem omnem retinuisse; Hellanicus mortalium equorum dono Herculi imposuisse Laomedontem scribit. Quam fraudem cum Hercules perspexisset, ex Hellanici fabula continuo arma iratus ad Trojam evertendam cepisse et vi sibi equos illos immortales videtur comparasse; Apollodorus eum minitantem abire patitur et poenas a Laomedonte repetendas in posteriora Herculis facta differt; II, 6, 4, quo loco equorum paene oblitus videtur esse. De equis postea ab Hercule acceptis Homerus quoque nihil refert. Quae sunt apud Tzetzam ad Lycophr. 469, ea Scholiastae ad Hom. l. l. narrationem continuant; aucta et magis exculta sed longo intervallo a prioribus distenta occurrunt apud Apollodorum II, 6, 4. Narrationis utriusque diversitates lectorum quisque facile ipse perspiciet. Telamonis in Troja expugnanda egregium auxilium jam Pindaricis laudibus celebratum erat; vid. sup. p. 28. et infra Euripides. Apud Hellanicum Telamon Herculem Alexicacum vocat, apud Apollodorum l. l. Callinicum, quo pulcro nomine heroem jam Archilochus induxerat; vid. sup. p. 22. Herculis Alexicaci notio inest Hesiodeis illis in Scut. 27. 28. vid. sup. p. 7. Cf. Otfr. Mueller II. p. 455. Buttm. Mytholog. I. p. 259. II. p. 147. not. De Podarce, qui post Priamus dictus est (Apollod. l. l.), nihil in Hellanici adlato fragmento. In Hesione vel Theanira Telamoni commissa cum Hellanico consentiunt Ister apud Tzetz. ad Lycophr. 467. et Sophocles in Ajace; vid. infra. Sed revertor ad id, quod jam attigi, Hellanici Herculem statim post Laomedontis fraudem bellum urbi parare. Ea vero opinio cum antiquior tum Herculis iracundi et ferocis naturae aptior videtur mihi esse. Ipsa Homeri verba οὐδ' ἀπέδωχ' ἵππους, ὧν εἵνεκα τηλόθεν ἦλθε quamquam Herculem illusum post Hesiones liberationem primo inultum abiisse, post revertisse concedunt, tamen cum locorum, ex quibus ille advenerat, multa longinquitate (τηλόθεν) non idem temporis interjecti intervallum et poenarum multam dilationem requirunt. Nec adversatur fabula Pindarica, in qua Laomedontis delictum, quod ad poenas Herculem hortabatur et impellebat, tantummodo in universum notatur, et Hercules quo minus statim post Laomedontis injuriam Telamonem arcessivisse et secum adversus Trojam duxisse existimetur, nihil est, quod impediat. Quapropter sic existimo, in antiquiore fabula Herculem aut e vestigio aut non ita multo post injuriam acceptam iram suam explevisse, actiones vero, quae prius sese exceperint, interruptas et longo intertextae narrationis intervallo distantes a posteriore memoria repeti debere. Ea, quae Hellanicus cum Theopompo de Junone suspensa scripsisse traditur, ex Homero esse, facile intelligi potest; cf. p. 2. — Porro Hellanicus de Hercule Geryonis armenta agente exposuit. Dubito num Sturzio (Commentat. de Hellanico §. 7.) adsentiar, cui Hellanicus insulam Erythiam plane non agnovisse videtur, quod Erythiam et Martem fuisse doceret Eurytionis parentes; Schol. Hesiod. p. 257. a. Sed haec missa facio; Herculis per Italiam reditio inprimis spectanda est. Prima in Herculis fabulas

recepta Italiae mentio apud Hellanicum invenitur, et apud Aeschylum, qui pugnam cum Liguribus et Rhegium commemorat; vid. infra. In Italiam Herculem jam mature antiquissimis Graecorum coloniis adportatum esse, utriusque et Graeci et Italici Herculis simillima natura et idem paene cultus ostendunt. Cf. Heyn. ad Aen. III. Exc. XIV. Otfr. Mueller II. p. 448. Sed quem Herculem e Graecia acceperat, eum postea, cum Graeci terras ad occasum versus sitas frequentare desinerent, et populorum consuetudo per longius tempus sublata esset, Italia ad suas rationes conformavit et priscae imagini aliquanto dissimilem effinxit. Cf. Encyclop. Herakl. p. 10. not. 3. Itaque is Hercules, qui Italiam obit et multa facinora in ea terra patrat (Encyclop. l. l. p. 22. not. 148. 149.), in ipsa Italia confictus est. Fabulae per Italiam effusionem indicat juvencus ille, qui oram Italiae peragrabat. Graeci vero Italiae consuetudine postea restituta eam confictionem pro more suo libenter receperunt et cum Hercule, qui a Geryone rediit, contra fabulae antiquam faciem [41]) conjunxerunt; eamque conjunctionem Aeschyli et Hellanici temporibus factam esse probabile est. Eodem tempore Gallica quoque et Sicula commenta (de Sicul. vid. infra ad Herodot.) in Herculis fabulam influxisse, partim Aeschyli campus lapideus, in quo Herculem cum Liguribus pugnasse haut obscure poeta significat, partim Hellanici juvencus, qui in Siciliam trajecisse memoratur, luculenter demonstrant. Scyllam ab Hercule interfectam esse addidit Dionysius Cyclographus; vid. sup. p. 38. Jam vero cum Herculis fabulae in Hispania, ubi Phoenicum coloniae erant, in Gallia et Italia et Sicilia vigerent et perpetua commentorum accessione augerentur, factum est, ut Hercules ipse ab Hispania per Pyrenaeos in Galliam, inde per Alpes in Italiam, hinc in Siciliam profectus esse crederetur. Quae colonia ab Hercule in Sardiniam missa esse traditur, eam haut dubie Phoenices vel Carthaginienses Hercule s. Melicartho duce deduxerunt; sed de suo Hercule et Thespiadibus interpretati sunt Graeci; vid. Encyclop. l. l. p. 31. Apollodorus II, 5, 10. §. 10. facile sua ab Hellanico petiit. Cf. Varro de re rust. II, 1, 9. 5, 3. — Ex Stephani loco (Ἀκέλη) colligi potest, Hellanicum etiam Herculis cum Omphale consuetudinis rationem habuisse; cf. Panyas. p. 19. — In pueri, quem Hercules pugno percussit, adpellatione veteres multum variasse constat; vid. sup. Archiloch. p. 22. et infra Herodor. add. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 192. Sed qui puerum Archiam et qui Cheriam scripserit, quamquam ejusdem scriptoris duo diversi libri laudantur, eundem esse Hellanicum neque cum Athenaeo neque cum Sturzio, qui Hellanicum in opere serius scripto alterutram adpellationem ad nostrorum hominum morem correxisse opinatur, credere possum. Habet vero antiquitas suos errores, sed non tantos tamque egregios, et prorsus alia veterum scriptorum est doctrina ac nostra. Quapropter, si quem errasse oporteat, malim equidem Athenaeo errorem tribuere, qui

41) Hesiodeus Hercules idemqne Tyrius, quod convenit navigationis et mercaturae deo, non per continentes terras sed per mare rediit; vid. sup. p. 6.

memoriae errore utraque ex eodem Hellanico petiisse ratus ex alio scriptore, Hellanico fortasse alio [42]), alterutrum hauserit. Hellanicum vero nunquam secum, cum aliis saepe pugnare, cum multa docent, tum proxima apud Schol. Apollon. I, 131. ostendunt. — De Phineo vid. sup. p. 37.

Insigne inter antiquiores historicos PHERECYDIS nomen est. Hoc nuper eruditionis copia et ingenii luce collustravit F. G. Sturz in libro Pherecyd. Fragmm. Cf. A. Matthiae programma de Pherecydis Fragmm. 1814. (insertum etiam Wolfii Analectis, Tom. I. Part. II. p. 321—331. receptumque a Sturzio in praefationem editionis alterius Pherecydeorum 1824). Agitur vero hoc maxime loco de Pherecyde juniore, Atheniensi, qui idem Lerius est. Hic Pherecydes Artaxerxis Longimani tempore vixit et tertio fere anno post Herodotum natus fuit; Sturz p. 55 sq. §. 10. Heyn. in Ind. Scriptorum ab Apollodoro laudatorum hunc ipsum Pherecydem Herodoto antiquiorem habet. Sed in magna fragmentorum frequentia, quae scriptores cum Pherecydis nomine conservarunt, non ubique facile est, certum Pherecydem reperire, cum etiam Syrius Pherecydes, Atheniensi antiquior idemque philosophus memoretur, qui vixit intra Olymp. XLV et LIX; vid. Sturz p. 1 sq. Sed quaecunque est ratio reliquiarum Pherecydearum, ea, quae ad Herculem pertinent, praeter unum fragmentum apud Schol. Sophocl. Trachin. 354, omnia a juniore Pherecyde profecta esse existimo, primum quod eorum magna pars ab Apollodoro adfertur, qui ipse historicus historicum, non philosophum secutus esse videatur, deinde quod haut raro Pherecydeorum scriptori illud *ἱστορῆσαι* vel *ἱστορίαι* tribuuntur [43]), et Pherecydem philosophum pauca scripsisse constat [44]), denique quod reliqua, in quibus earum caussarum subsidium non accedit, natura sua et dicendi genere cum illis ipsis egregie congruunt.

De iis, quae Herculis ortum antecessisse Pherecydes tradiderit, uberrime exponit Schol. ad Hom. Od. *λ*, 266: Teleboae Electryonis filium occiderant; et Amphitruo, qui inconsulte Electryonem exstinxit, Thebas fugerat. Cui Alcumena non prius nubere voluit, quam a Telebois fratris occisi [45]) poenas repetiisset. Hoc Amphitruo pollicitus feminam Thebas duxit et contra Teleboas profectus est. Ea vero ipsa nocte Jupiter Amphitruoni similis cum poculo (*καρχησίῳ*) ad Amphitruonis aedes adiit. Quem Alcumena pro dilecto [46]) suo viro putans, num Teleboas occidisset, interrogavit. Omnia, quae gesta essent, Jupiter exponit, poculumque ei dat, quod ut virtutis praemium [47])

---

42) De pluribus ac diversis Hellanicis vid. Sturz. Commentat, §. 1.

43) Cf. Sturz p. 65. §. 12.

44) Sturz p. 26. §. 6.

45) Pro *ὑπὲρ τῶν αὐτῆς ἀδελφῶν* esse debet *ὑπὲρ τοῦ αὐτῆς ἀδελφοῦ*. Vide tamen Apollod. II, 4, 6. §. 7.

46) Lego cum Sturzio *ἀσπαστὸν* pro vulg. *παστὸν*.

47) *ἀριστεῖα* recte edidit Buttmann in Schol. pro *ἀριστήσας*.

a militibus se accepisse simulat. Tum vero Jupiter cum muliere, quae donum istud gratum seposuit, concubuit, deoque ex aedibus digresso Amphitruo reversus eadem nocte rem habuit cum muliere, quae postea a Jove Herculem, ab Amphitruone Iphiclem peperit. Ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ. Adde Athen. XI. p. 474, quo loco τὸ καρχήσιον ad antiquissimum poculorum genus refertur, quod Jupiter Alcumenae concubitus mercedem dederit, ὡς Φερεκύδης ἐν τῇ δευτέρᾳ ἱστορεῖ καὶ Ἡρόδωρος ὁ Ἡρακλεώτης. Atque Macrobius in Saturn. V, 21. sic: Est autem carchesium poculum Graecis tantummodo notum. Meminit ejus Pherecydes in libris historiarum, aitque Jovem Alcumenae pretium concubitus carchesium aureum dono dedisse. Sturz. fr. 12. — De Eurysthei matre Pherecydis aliquam commemorationem adfert Didymus, qui Pherecydem tradit Amphibian, Pelopis filiam, illam dixisse, vid. ad Hom. Il. τ, 116. Schol. Vill. cf. sup. p. 8. Sturz. fr. 30. p. 140. — Porro Herculis infantiam et serpentes manu elisos Pherecydes attigit, ut docet locus apud Apollod. II, 4, 8. §. 5. Sed ita a fabula vulgari recessit, ut illos dracones non a Junone missos sed ab Amphitruone in infantium stratum conjectos esse diceret, quo comperiret Amphitruo, uter esset suus, uter Jovis, eumque Iphiclis fuga et Herculis constantia rem edoctum esse. Eadem fere ex Pherecyde tradit Scholiasta ad Pind. Nem. I, 64, ubi additur, pueros jam unius anni tum fuisse, et ab Hercule ambo serpentes suffocatos esse. Sturz. fr. 12. extr. — Scholiasta ad Pind. Isthm. IV, 104. de Herculis ex Megara liberorum dissensionem esse tradit. Eorum enim ἐν δευτέρῳ Pherecydem quinque nominasse: Antimachum, Clymenum, Glenum, Therimachum et Creontiaden, qui a patre in flammas conjecti essent. Sturz. fr. 11. Haec quoque historico et γενεαλογιῶν scriptori, qui fuit Pherecydes junior (cf. Sturz p. 59. §. 10.), magis convenire videntur, quam philosopho. — De cerva aureis cornibus insigni vid. Schol. ad Pind. Ol. III, 12. (e cod. Vratisl. Boeckh.) cf. sup. p. 14. — Stymphalidas Pherecydes non mulieres, ut Mnaseas existimavit, sed aves esse dixit, quas Hercules, qui ad eas terrendas πλαταγὴν (a Minerva) accepisset, sustulisset; Schol. Apollon. II, 1054. Sturz. fr. 47. — Herculem in Pherecydea narratione contra Amazonas et quidem ante Theseum profectum esse, ex Plutarcho jam attulimus sup. p. 39. — Apud Athen. XI, p. 470. (cf. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 162.) haec sunt: Pherecydes ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, postquam de Oceano exposuit, subjungit haec: Hercules vero arcum intensum, tanquam petere vellet, adversus illum (Solem) dirigit, quo incepto Sol desistere eum jubet, metuensque Hercules desistit. Cujus obsequii gratia Sol ei dedit pateram auream (τὸ δέπας τὸ χρύσεον), qua Sol, postquam occidit, cum equis noctu per Oceanum ad orientem vehitur. Jamque Hercules in illa patera ad Erythiam contendit. Sed cum in mari agitaret, Oceanus, ut ejus virtutem experiretur, in fluctibus, quibus pateram exagitat, sese jactat, sed Herculis in se arcu directo deterritus, ut tela omitteret, rogat. Cum his conf. Macrob. Saturn. V, 21: Poculo autem Herculem vectum ad Ἐρύθειαν Hispaniae insulam navigasse et Panyasis egregius scriptor Graecorum dicit et Pherecydes auctor est: quorum verba subdere supersedi, quia propiora sunt fabulae, quam historiae. Sturz. fr. 14. cf. sup. p. 18. Add. Strab. III. p. 257 (169): Ἐρύθειαν

δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης. — De Herculis profectione ad Hesperidas Pherecydes uberrime exposuit. Primum audiamus Scholiastam ad Apollon. IV, 1396: Pherecydes ἐν δεκάτῳ narrat, cum Juno nuberet (τῷ Διΐ Cod. Paris.), Terram in Oceano (h. e. in insula Oceani occidentalis) mala aurea vel fructuum aureorum malos ex se edidisse, quae draco, Typhone et Echidna procreatus, centiceps et vocum varietate instructus custodiret. Atque Nymphas, Jovis et Themidis filias, in specu circa Eridanum habitantes, Herculi incerto hoc suppeditasse, ut a Nereo disceret, ubi essent aurea illa mala. Nereum vi (ab Hercule) comprehensum primo in aquam et ignem se convertisse, tum ore vultuque pristino recepto, locum denuntiasse. [Quae jam sequuntur apud Scholiastam, quamquam in rectam orationem sunt conversa, non minus ex Pherecyde esse arbitror, quod cum reliquis fragmentis, quae infra adferenda sunt, congruunt.] Hercules ad aurea mala hoc modo penetravit: Tartessum cum venisset, in Libyam discessit, ubi Antaeum, Neptuni impium filium, sustulit. Tum usque ad Nilum progressus Memphin venit ad Busirin Neptuno natum, quem interfecit; item ejus filium Iphidamantem et Chalben praeconem et sacrorum famulos ad Jovis aram, ubi hospites mactabant, exstinxit. Post haec Thebas venit, et per montes in Libyam exteriorem (εἰς τὴν ἔξω Λιβύην h. e. Aethiopiam et loca ad sinum Arabicum posita) penetravit, in cujus desertis multas bestias arcu confecit, et Libya eo modo vacuefacta ad mare exterius (ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν ἔξω κειμένην h. e. sinum Arabicum) contendit. Atque a Sole nactus χρυσοῦν δέπας, eoque per mare vastum et per Oceanum vectus Pergen (orae Lyciae oppidum) adpulit (διαβαίνει ἐν αὐτῷ εἰς Πέργην διά τε τῆς ἔξω τῆς γῆς θαλάσσης καὶ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ πλέων). Jamque ad Prometheum accessit, et ab eo conspectus ejusque precibus fatigatus viri fortunam commiseratus est, et aquilam, quae miseri hominis hepar devorabat, advolantem sagitta percussit (cf. Pherecyd. apud Schol. Apollon. II, 1248. Sturz. fr. 9). Cujus beneficii gratia Prometheus eum, ut non ipse ad mala proficisceretur, sed Atlantem adiret, hunc mala ab Hesperidibus adferre juberet, ipse interea coelum sustineret, suasit et rogavit. Hercules cum ad Atlantem venisset, ut praeceptum erat, facit, laborem impositum edocet, tria mala sibi deposcit. Atlas coelo Herculis humeris imposito Hesperidas adit malisque captis ad Herculem reversus semet ipsum mala ad Eurystheum perlaturum esse declarat, coeli molem recusat. Hercules se onus sustenturum esse pollicitus, fraude, quam Prometheus ministrarat, se ex discrimine expedivit. Persuasit enim illi, ut coelum reciperet, quoad peram super caput sibi fecisset. Eo Atlas inductus depositis humi malis coelum recepit; Hercules malis arreptis Atlanti valedixit, Mycenas revertit et Eurystheo mala monstravit. Praeter Scholiastae ampliora consideranda sunt breviora haec: a) apud Eratosthenem in Catasterism. 3, ubi Pherecydes tradit, cum Juno a Jove in matrimonium duceretur, diis sponsae munera ferentibus Terram aurea mala attulisse, quae Juno admirata in deorum horto in Atlantis vicinitate plantari jussisset. Sed mala cum per Atlantis filias perpetuo surriperentur, horum fructuum custodem a dea ingentem serpentem constitutum esse. b) apud Hygin. in Poet. Astron. II, 3. leguntur haec: Ait Pherecydes, Junonem

cum duceret Jupiter uxorem, Terram venisse ferentem aurea mala cum ramis. Inde Junonem admiratam petiisse a Terra, ut in suis hortis sereret, qui erant usque ad Atlantem montem. c) apud Scholiastam German. Arat. Phaenom. ad v. 49. p. 41. ed. Buhl. proferuntur haec: Hunc (draconem) Pherecydes dicit inter astra collocatum beneficio Junonis, eo quod cum nuberet Jovi Juno, diis offerentibns munera, Terra quoque obtulerit aurea mala cum ramis, quae Juno in hortum suum, qui erat apud Atlantem, inferri jussit, et Hesperides, 'Atlantis filias, custodes posuit. Quae cum a filiabus Atlantis subtraherentur et saepe vexarentur, Juno custodem horti draconem pervigilem implicuit arbori, quem Hercules interfecit, et illa astris intulit. d) apud Tzetzam ad Lycophr. 663. Pherecydes Herculem tradit, postquam Antaeum Libyn, Neptuni filium, cujus sexaginta cubitorum magnitudo, luctatione oppressisset et confregisset [48]), cum Iphinoa, Antaei uxore, concubuisse atque ex ea Palaemonem sibi filium genuisse. Eadem fere leguntur in Etymolog. M. ex Oro, ubi tamen *Πολέμων ὁ Ἡρακλῆς*, qui ab initio est, scribendus est *Παλαίμων ὁ Ἡρ.*, quod verba sequentia *διὰ τὸ παλαῖσαι* satis demonstrant; atque etiam Herculis filium illic *Πολέμωνα* scriptum ex Tzetzae superiore testimonio *Παλαίμονα* esse oportet; *παλαῖσαι* vero, pro quo Sturzius vult scribi *καταπαλαῖσαι*, utique retinendum est. Considerandus denique Scholiasta ad Pind. Pyth. IX, 183: *ἔνιοι γάρ φασιν, ὅτι ὁ ἀπὸ Ἡρακλέους καταγωνισθεὶς Ἀνταῖος Ἰρασσεὺς ἦν, ἀπὸ Ἰρασσῶν τῶν ἐν τῇ Τριτωνίδι λίμνῃ, ὥς φησι Φερεκύδης.* e) apud Schol. Hesiod. Theog. 985. p. 310. b: *Ἠμαθίωνα, ἀφ' οὗ ἡ Μακεδονία Ἠμαθίη* [49]). Sequuntur haec: Sed Pherecydes ab Hercule sublatum memorat Emathionem, cum ad aurea mala ille proficisceretur. Insunt haec omnia apud Sturz. in fragm. 30. — Porro, in quo ipse et Posidippus Antimachum secuti esse referuntur, Herculis molem supra Argonautarum navigii facultatem fuisse, Pherecydes tradidit; Schol. Apollon. I, 1290. Nobilissimus autem super hac re locus est apud Apollod. I, 9, 19. §. 6. ubi Pherecydes Herculem Aphetis Thessaliae derelictum esse memorat, propterea quod navis vociferata esset, se talis viri onus sustinere non posse. Sturz. fr. 43. Atque haec a juniore Pherecyde profecta putari debent, quorum auctor ipso Syrio Pherecyde juniorem Antimachum sequi posset. — Scholiasta ad Hom. Od. φ, 22. a Pherecyde repetit haec: Iphitus, Euryti filius, Oechalia oriundus, cum equos amisisset, oppidorum orbem circumivit quaerens, num qua conspicerentur. Polyidi vatis, qui illorum investigatione ne ad Tirynthem usque progrederetur, id quod ipsi perniciosum foret, monuerat, consilio neglecto ad hanc urbem pervenit. Atque Hercules, quem ibi offendit, astutia quadam eum adduxit, ut secum murum praeruptum conscenderet, eumque de muro praecipitat, quod pariter Iphito atque ejus patri crimini dabat, sibi certaminis victori Joles matrimonium denegatum esse, sed ignominia adfectam dimissionem contigisse. Jupiter vero ob hospitis caedem

---

48) *οὗ (Ἀνταίου) καὶ τὰ ὀστᾶ πρὸς Ὀλυμπίαν ἠνέχθη, ὡς μὴ ἀπιστοῖτο* addit Tzetza l. l.

49) Contra vid. Isidor. Origg. XIV, 4. cf. Plin. N. H. IV, 10. Sturz p. 139.

iratus Mercurio mandavit, ut Hercule venumdato caedis mulctam pararet. Ita Hercules ab illo in Lydiam abductus Omphalae reginae tribus talentis constabat. *Ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ.* Sturz. fr. 46. Apud Schol. Sophocl. Trachin. 354. a Pherecyde repetuntur haec: Post certamen Hercules ad Eurytum *τὸν Μέλανος* [50]) *τοῦ Ἀρκεσιλάου* Oechaliam pervenit, quae urbs sita erat *ἐν Θούλῃ* Arcadiae, et Hyllo (filio suo) filiam (Euryti) uxorem petiit. Quam cum (Eurytus) non daret, Hercules Oechaliam expugnavit et illius filios trucidavit. Iphitus vero fuga in Euboeam elapsus est. Sturz. fr. 46. — Post Trojae eversionem quae acciderint, narrat ex Pherecyde Scholiasta ad Hom. Il. ξ, 255. Vill: Hercules diruta Troja rediens, cum mari Aegeo esset, per Junonis dolum in magna tempestate agitabatur; adpulsum vero ad Meropum insulam Con Eurypylus, Neptuni filius, insulae rex, escendere prohibuit. Sed ille vi prorupit et ut praedo egressus Eurypylum ejusque filios jugulavit, cum regis filia Chalciope [51]) concubuit, et Thessalum procreavit. *Ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει.* Sturz. fr. 46. — De Molionidis Schol. ad Hom. Il. λ, 708: Cteatus et Eurytus Neptuni et Moliones, Molo natae, filii, Actoris vero dicti. Hi prorsus diversam a ceteris hominibus naturam habebant. *Διφυεῖς* erant, quorum uterque duo capita, quatuor manus totidemque pedes, unum vero corpus haberet. Ideo et ex hostili et ex athletico certamine victores discedere solebant. Ergo Hercules, quos bello justo (*κατὰ τοὐμφανές*) domare non posset, cum etiam Augeas iis auxiliaretur, insidiis factis oppressit, itaque Elidem evertere ei contigit. *Ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ.* Cum his omnino conferenda sunt Scholia in Platonem p. 11. ed. Ruhnken. ubi leguntur haec: *Ταύτης* (*τῆς παροιμίας Πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς*, quam Plato adfert in Phaedone T. I. Opp. p. 89. C.) *τὴν αἰτίαν ὁ Δοῦρις οὕτως ἀφηγεῖται. Ἡρακλέα φησὶ βωμὸν δειμάμενον ἐπὶ τῷ Ἀλφειῷ, πυγμῆς ἀγῶνα καταθεῖναι, καὶ νικήσαντα τὴν ἑξῆς Ὀλυμπιάδα, πάλιν ἀγωνιζόμενον ὑπὸ Ἐλάτου καὶ Φεράνδρου πάλῃ ληφθῆναι, καὶ ἐξ ἐκείνου τὸ Πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς παροιμιασθῆναι. Ἐχεφυλλίδας* (*Ἔχει Φιλοίδας*) *δὲ, αὐτὸν ὑπὸ Κτεάτου καὶ Εὐρύτου, τῶν Μολιονιδῶν, ἡττηθῆναι κατὰ τὴν ἐπ' Αὐγείᾳ* (*Αὐγέαν*) *στρατείαν· διωχθέντα δὲ ἄχρι τῆς Βουπράσιδος* (*Βουπρασίδης*) *καὶ περιβλεψάμενον, ὡς οὐδεὶς ἐξίκετο τῶν πολεμίων, ἀναψύξαι τε καὶ ἐκ τοῦ παραῤῥέοντος ποταμοῦ πιόντα προσαγορεῦσαι Τοῦτο ἡδὺ ὕδωρ· ὃ νῦν δείκνυται ἰόντων ἐκ Δύμης εἰς Ἦλιν, καλούμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων βαδὺ* (*τὸ ἡδὺ*) *ὕδωρ. Τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Φερεκύδης, καὶ Κώμαρχος, καὶ Ἴστρος ἐν τοῖς Ἠλιακοῖς ἱστοροῦσι. Καὶ διὰ τοῦτο θεωροὺς τοὺς Μολιονίδας ἰόντας εἰς Κόρινθον λοχήσαντα τὸν Ἡρακλέα περὶ Κλεωνὰς ἀποκτεῖναι· ὅθεν Ἠλείοις ἀπώμοτον εἶναι τὰ Ἴσθμια ἀγωνίζεσθαι, ὅτι θεωροὺς πεμφθέντας εἰς τὸν Ἰσθμὸν τοὺς Μολιονίδας ἑλὼν Ἡρακλῆς ὑπὸ Κορινθίων ἐδέχθη.* Sturz. fr. 47. Cf. Siebenkees. Anecdot. Gr. p. 11. Siebelis Atthid. p. 72. — De Amaltheae cornu audiendus est Apollo-

---

50) *Μελανέως* vult Augustin. van Staveren in Miscell. Obss. Vol. X. p. 306. propter Pausan. IV, 33. p. 362.

51) Alia est Chalciope, Medeae soror, Aeetae filia, quam Pherecydes *Εὐηνίαν* nuncupatam esse scripserat teste Schol. Apollon. II, 1149.

lodorus II, 7, 5. §. 2: Amalthea, Haemonii filia, tauri cornu habuit. Id vero cornu, ut Pherecydes ait, erat ea vi, ut escam vel potum, utrumlibet cuperet aliquis, large et commode praeberet. Eadem sunt apud Schol. Sophocl. argument. Trachin. Sturz. fr. 49. — Apud Apollonii Scholiastam ad I, 1212. (ex quo Phavorin. in Ἡρακλῆς) Pherecydes libro III. Dryopes (quos Hercules post Nessum Centaurum exstinctum adiit; vid. Schol. l. l.) gentem praedatoriam et Meliensibus finitimam dixisse traditur. Sturz. fr. 13. Idem libro II. scripsit, cum Polydora, Danai filia, Peneum amnem concubuisse, ex quo coitu Dryops procreatus sit, de quo Dryopes dicti, ad Spercheum flumen incolentes; Apollonii Schol. l. l. Sturz. fr. 7. — Denique de Heraclidarum fortuna post Herculis e terris discessum quae Pherecydes memoriae tradiderit, ea vide apud Antonin. Liberal. c. 33. Sturz. fr. 50.

Pherecydem sua ab antiquis poetis, Homero, Hesiodo, Pisandro, Stesichoro et Panyaside petiisse, sed non raro eos deseruisse, ex rebus ipsis apparet; cf. sup. p. 40. Ac nominatim Pindarum non magis sequi quam impugnare hic scriptor videtur; vid. infra. Clarissimi viri, Augusti Matthiae conjecturam, Herculis ἆθλα reliquasque res ab eo usque ad mortem gestas Pherecydis librum t e r t i u m sibi occupasse, in medio relinquo. — In iis, quae refert laudatus Scholiasta ad Hom. Od. λ, 266, Pherecydes maxime Hesiodea ante oculos habuit; vid. sup. p. 7. 8. 10. Sed res notatu digna est, apud Pherecydem Jovem ejus diei, quo Amphitruo contra Teleboas profectus est, proxima nocte adventare, eademque nocte Amphitruonem redire, ita ut totius actionis tempus et fines valde coarctentur. Ex quo probabile est, Pherecydem Teleboas non in multa illa Echinadum insularum longinquitate posuisse, sed Thebis, unde profectus Amphitruo, propiores statuisse. Neque adversatur fabula Hesiodea in Scuto; vid. sup. p. 7. cf. Pindar. p. 26. Atque Hyginus cum in fab. XXIX. Amphitruonem ad expugnandam Oechaliam (in Euboea) abfuisse referat, similiter puto Pherecydem cum Scuti auctore existimasse. Poculo vero adducto et Alcumenae ante coitum donato, quod poculum cum Charone (vid. sup. p. 38.) et Herodoro (de quo infra) Pherecydes memorat, non obscure videtur significari, Jovem jam poculorum filium esse procreaturum. Atque sic ipso ortus sui omine praesignificatum esse equidem video Herculem aut eum, qui Solis phialam conscendisse crederetur, aut illum, qui poculorum amans bibaxque effictus esset, aut denique horum utrumque. Cf. Macrob. Saturn. V. c. 21. inprimis A s c l e p i a d a e sententiam, et verba: Herculem vero fictores veteres non sine caussa sq. Utcunque est, Pherecydes isto poculo in Herculis procreationem adsumpto fabulae vacuas partes explere earumque rationem consentientem efficere studuit. A n a x i m a n d e r in Ἡρωολογίᾳ Amphitruonem, belli (contra Teleboas) praeda sociis distributa sibi scyphum sumpsisse eoque sumpto naves solvisse narravit. Hunc scyphum a Neptuno Teleboae filio, a Teleboe Pterelae donatum fuisse; Athen. XI. p. 498. — Serpentes quod de Pherecydis sententia Amphitruo ipse in stratum conjecit, in eo videre mihi videor historici studium et conjecturalem controversiam, qui, quantum potuit, a fabula mirabilia secluserit aut infirmare studuerit; cf. de Hecataeo p. 36. Namque ea opinio, qua Juno serpentes illos mittit, quamquam est

fabulae magis conveniens et antiquior, tamen neque nobis supra Pindari aetatem repetenda fuit (vid. sup. p. 30.), nec, quemadmodum mihi persuadeo, Pherecydi aliter visum. Sed fabulam tam recentem, adde tam violenter conversam (p. 30.) scriptor, qui summum decem Olympiadibus Pindaro esset minor, non ita religiose prosequi potuit, ut non pro illis Pindaricis suam conjecturam substituere auderet. Pindarum vero Euripides secutus est, quem vide infra. Altera Pherecydis a Pindaro dissensio est de numero et mortis genere occisorum Herculis filiorum. Nam Pindarus cum octo dixisset interfectos a patre filios, et quidem aere, Pherecydes quinque tantum eosque in flammas conjectos esse memoravit. Flammas recepit Apollodorus II, 4, 12. §. 1; cum Pindaro magis consentit Diodorus IV, 11. *κατετόξευσε.* — De Stymphalidis, item de profectione contra Amazones vide sup. p. 38. 39. 41. — Fabulam de Sole et Hercule Pherecydes a Pisandro, Stesichoro et Panyaside petere potuit. Sed Pisander ab Oceano, Panyasis a Nereo Solis phialam Herculi contigisse memorabant; Pherecydes, quod visum fortasse erat Stesichoro (p. 24.), Solem ipsum hoc munus illi dedisse, Oceanum vero Herculis in mari versantis virtutem tentasse narrat. De Erythia vid. Salmas. ad Solin. p. 201 sq. Erythia nulla alia Phoenicibus fuit nisi Hispania (vid. sup. p. 11.); sed id ipsum dissimulabant et, ut ne Graecis aliisque populis illud palam fieret, hanc ipsam terram esse suam Erythiam h. e. omnium opum fertilissimos et antiquissimos fundos, omni studio cavebant Phoenices nautae et mercatores; eoque accidit, ut Erythia ab aliis populis frustra quaereretur. Cf. (Aristotel.) de mirabil. auscultationibus c. 145: *οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς κατὰ Λιβύην καὶ Ἰβηρίαν τόποις οὐδαμοῦ τὸ ὄνομα λέγεσθαί φασι τῆς Ἐρυθείας.* Sed Gades emporium mercium Hispaniensium Phoenicibus nobilissimum; id quum resciret Pherecydes, pro ingenio suo in illis Gadibus ipsis Erythiam esse suspicatus est. Pherecydem hac parte secuti sunt Ephorus (vid. infra) et Apollodorus II, 5, 10. §. 1. cf. inf. Herodot. — Pherecydis auctoritatem multum valuisse ad posteriorem constituendae fabulae rationem, cum ex omnibus, tum ex iis apparet, quae de Herculis profectione ad Hesperidas hic scriptor tradidit. Quae profectio apud eum sic dirigitur: Primum Hercules adit Nymphas ad fabulosum amnem Eridanum, ab his se confert ad Nereum; hinc Tartessum, inde Libyam; progreditur usque ad Nilum et Memphin; post pervenit Thebas Aegyptias; hinc in Aethiopiam et ad orientale Africae littus, unde sinum Arabicum ingreditur, ex quo sinu Solis poculo vectus in mare vastum provehitur; defertur in Oceanum, postremo Pergen adpellit; inde ad Prometheum, denique ad Atlantem [52]). Hanc vero Herculis profectionem conflatam et consutam esse ex singulis de Herculis itineribus et commorationibus commentis cum appareat, tum Pherecydem primum fuisse, qui omnia ea colligaret et connecteret, constat. Is enim primus Antaeum Irasseum, (quem memoravit Pisander, cum Hercule ipso conjunxit Pindarus) et Prometheum (cujus per Herculem factam liberationem praedicaverant Hesiodus et

52) De hujus itineris apud Apollodorum flexione vid. Heyn. Obss. p. 167. et infra.

Aeschylus; vid. infra), praeterea Busiridem [53]), Emathionem, Atlantem atque alia ante sejuncta cum hac profectione contexuit; idemque Solis poculum, quod ante ad unam in Erythiam profectionem dabatur, adnitente Panyaside (sup. p. 21.) in hoc quoque periculo Alcumenae filio tradidit. De Antaeo supra dictum p. 31. Busiridis credita crudelitas ad illud Graecorum commentum spectat, quod est apud Herodotum II, 45. Cf. sup. p. 21. [54]) Sed jam Eratosthenes veriora assequi studuit; vid. ap. Strab. XVII. p. 1154 (802). Cf. Diod. I, 88. Encyclop. Herakl. p. 36. 37. Aegyptiorum hostias humanas et ingentem crudelitatem ut crederent et veteres et recentiores peregrinantes, facile illis trucidationibus et omnis generis cruciatibus inducti sunt, quos in Aegyptiorum sepulcris depictos conspexerant. Sed horrendae illae picturae ad animorum impiorum post mortem fortunam miserrimam spectant; ad hanc vitam lucemque nihil pertinent. Vid. Champollion de sepulcris regum Thebaeorum in Morgenblatt, Novbr. 1829. No. 264. — Quae apud Apollonii Scholiastam l. l. dicitur ἡ ἔξω Λιβύη, ad quam a Thebis per montes penetrasse Hercules refertur, ea Aethiopia est et loca ad sinum Arabicum conversa (in qua vicinitate Pherecydes etiam Emathionem, quem Hercules sustulit, videtur locasse; cf. Apollod. III, 12, 4. Diod. IV, 27.). Sic enim jubent sequentia, in quibus Hercules καθήρας τὴν Λιβύην (Libyam omnem) καταβῆναι ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν ἔξω κειμένην traditur. Haec vero θάλασσα ἡ ἔξω κειμένη, cum alia ac diversa esse videatur ab illa, quae paullo post memoratur ἡ ἔξω τῆς γῆς θάλασσα (h. e. mare ab omni terrarum vicinitate longe remotum, vastum mare, pelagus), nulla aequora denotare potest nisi sinum Arabicum extra Libyam situm sed hanc terram attingentem. Itaque Hercules primum ab Aethiopiae Libyaeque ora orientali ad sinum Arabicum contendit; hinc accepto Solis poculo (cf. Aeschyl. in Prometh. Soluto ap. Strab. I. p. 58.) per vastum mare (quod de hodierna ratione Persicus est et Indicus oceanus) et navigio vel meridiem vel orientem versus delato in Oceanum, qui terram ambit, invehitur. Jam vero cum ad Pergen, quod apud Scylacem in Peripl. p. 39. (Huds.) in Lyciae ora oppidum est, perlatus esse referatur, cogitandum est, eum Oceani, qua vergit ad septentriones, aliqua parte emensa in pontum mediterraneum, qui finibus suis orientalibus oceanum amnem attingere credebatur, evasisse, et ad hanc urbem Pergen adpulsum esse [55]). Jamque hinc aut navigio in mare retro verso et Asiae minoris circum

53) Apud Theonem in Prog. c. 6. est, Hesiodum undecim aetatibus Hercule majorem facere Busirin. Similiter Isocrates in Laud. Busir. c. 15. plus ducentis annis ante Perseum vixisse Busirin famam fuisse dicit.

54) Busiris in scenam productus est ab Epicharmo, Ephippo, Cratino, Antiphane et Mnesimacho. Vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 298. 300. 415. 431. 470.

55) De Perge urbe vid. Tzschuck. ad Pomp. Mel. I. c. 14. Illi, qui, ut Heynius in Obss. p. 173, pro εἰς Πέργην, quod habet Apollonii Interpres, scripturam suaserunt εἰς περαίαν sc. γῆν, ἤπειρον, nescio num veriora viderint. Verba enim sunt ipsa haec: καὶ λαβὼν χρυσοῦν δέπας παρὰ Ἡλίου, διαβαίνει

oras acto aut pedibus per terram ad Caucasum et Prometheum adpropinquare potuit. (Cf. Theocrit. Id. XIII. extr., ubi similiter Colchidem Hercules pedibus proficiscitur). Sed quasi uno narrationis saltu Hercules Pherecydeus apud Atlantem est. — De dracone inter sidera relato scripserat Panyasis; vid. p. 18. Atlantis auxilium ex historicis primus Pherecydes memoravit; cf. infer. Euripides. — Age vero Apollodori narrationem II, 5, 11. cum Pherecydis fabula paullum conferamus. Hesperidum horti apud utrumque scriptorem sunt in Atlantis vicinitate; cf. Sturz p. 134. Encyclop. Herakl. p. 23. n. 159. Sed Hesperides una cum dracone pomorum custodes facit Apollodorus; contra Pherecydes ante tagacibus Atlantis filiabus, draconi post commissa illa esse refert. Cursum suum Hercules apud juniorem scriptorem dirigit in Macedoniam, ibique pugnat cum Cycno et Marte; hinc per Illyrios fines ad flumen Eridanum et Nymphas, ab his ad Nereum proficiscitur; inde Libyam et Antaeum adit. Contra apud antiquiorem statim apud Nymphas est, et prius conspicitur Tartessi quam in Libya. Res in Libya Aegyptoque gestas ambo similiter referunt; sed Phrasii oraculum et trucidatio apud unum est Apollodorum. Atque apud hunc Hercules Asiae locis peragratis in insula Rhodo versatur, ubi aratoris bovem devorat [56]); hinc in Arabiam devertit ibique Emathionem necat; et altero per Libyam facto itinere *ἐπὶ τὴν ἔξω θάλασσαν καταπλεῖ*, ubi *τὸ δέπας* accipit, quo navigio ad adversam *ἤπειρον* perlatus ad Caucasum et Prometheum pervenit. Pherecydes contra de Rhodo nihil; Emathionem, quem in Aethiopia videtur locasse, facile post Busiridem interfectum memoravit; Aethiopiam Libyamque per Herculem a multis bestiis vindicatas addit, in quo secutus eum videtur Diodorus IV, 17; *τὸ δέπας* cum Apollodoro commune habet; sed prorsus alio et longiore itinere Herculem ad Prometheum ducit. Illud etiam Apollodoro proprium, quod pro Prometheo Chironem sponte moriturum Jovi Hercules sistit; cf. infra ad Aeschylum. Quae de Atlante et Herculis fraude narrantur, ea apud utrumque facile consentiunt. — — De Hercule ab Argonautis relicto cf. sup. p. 9. et infra Herodotus. Phineum (vid. sup. Dionys. Miles. p. 37.) Pherecydes memoravit teste Schol. Apollon. II, 181. Sed Phineus iste a Pherecydeo Hercule exstingui non potuit, qui non esset inter Argonautas. Sic quoque existimandum de Boreadis; Schol. Apollon.

ἐν αὐτῷ εἰς Πέργην διά τε τῆς ἔξω τῆς γῆς θαλάσσης, καὶ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ πλέων. Itaque Pergen advehitur, postquam mare vastum et Oceanum expertus est. Illa vero *περαία* esset terra continens extra vel trans Oceani fluctus posita, quod vix consentaneum est veterum opinionibus. Neque cum Otfr. Muellero (III. p. 468.), qui putat a Pherecyde Prometheum in australi orbis terrarum fine collocari, possum consentire. Hoc si ita esset, Prometheum quoque propter illud *περαία*, quod Muellerus probat, trans Oceanum quaeri necesse fuisset. Sed locus, ubi Prometheus adfixus, non alius est atque Caucasus, et fabula de Prometheo vincto in Asiatica Scythia versatur; vid. Welcker die Aeschylische Trilogie Prometheus und die Kabirenweihe zu Lemnos, 1824.

56) Cf. Encyclop. Herakl. p. 24. n. 170. Haut dubie, qui in insula Rhodo fuit Herculis cultus et fama (Encycl. l. l. p. 35. n. 334.), ab Heraclidis genus ad Tlepolemum, Herculis filium, referentibus, qui in ea insula consederant, inductus erat; cf. Schol. ad Pind. Ol. VII, 36. 40.

271. adde ad 299. Sturz. fr. 20. 21. Fabulae fundamenta de Iphiti pernicie ab Homero petita sunt; p. 3. Neque apud Homerum neque apud Pherecydem nec apud Sophoclem Hercules vesaniae excusationem habet. Sed hospitem domi suae Hercules occidit apud Homerum, de moenibus Tirynthiis praecipitat apud historicum et poetam tragicum. Polyidi vatis dehortans praedictio, Herculis astutia et incusatio apud Pherecydem accedunt. Sed haec fortasse cum tota Joles fabula ex Creophyli carmine fluxerunt; vid. sup. p. 12; facile etiam Sophocles illam praedictionem in fabulam suam Polyidi nomine inscriptam recepit. Scythinus Tejus ideo Eurytum ejusque filium ab Hercule interfectos scripserat, quod tributa ab Euboeensibus exegissent; Athen. XI. p. 461. add. Lysimach. ap. Schol. Eurip. Hippol. 545. De Jole cf. Sophocles. — De Hercule et Omphale vid. sup. Panyasis p. 19; Aeschylus quoque et Sophocles venditum Herculem memorant (vid. infra); sed trium talentorum pretium primus memoravit Pherecydes. Quae refert Sophoclis Scholiasta ad Trachin. 354. parum consentientia cum Pherecydea narratione apud Homericum Interpretem, ea vix ab hoc eodem Pherecyde profecta esse possunt; itaque Sophoclis Scholiasta aut Pherecydem alterum meminit, aut prorsus alium scriptorem cum Pherecyde juniore confudit; cf. sup. de Hellanico p. 43. 44. Vid. tamen Otfr. Mueller III. p. 469. et II. p. 413. — Quae de Hercule a Troja redeunte tradidit Pherecydes, ea maximam partem ex Homero deprompsit; vid. sup. p. 2. Meropas fractos memoravit Pindarus; p. 29. — Molionidas ab Hercule domitos et Augeae supplicium ante Pindarus et Hecataeus exposuerant; p. 27. 35; sed notatu dignum est, apud Pherecydem non Augeae Molionidas, sed illum his auxiliari. *Διφυεῖς* Molionidas dixit Pherecydes, *συμφυεῖς* Apollodorus; Neptuni veros filios fuisse et Actoris habitos ille dicit, Actoris fuisse et Neptuni existimatos hic adfirmat. Cf. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 184 sq. Sturz p. 180. addit haec: Caussam, cur Hercules hos Actoris filios interfecerit, ex iis, quae Mnaseas ap. Schol. Apollon. II, 1054. adfert, colligere etiam hanc possumus, quod Stymphalides, Stymphali herois et Ornithos filiae, non ipsum, sed Molionidas hospitio excepissent, quam ipsam ob caussam Stymphalidas illas interemerit. — De Amaltheae cornu cf. Pindarus et Dionys. Miles.; p. 29. 37. [57]). — Ex Apollon. Schol. I, 1212. apparere videtur, Pherecydem Herculis cum Dryopibus bellum exposuisse; cf. infer. Herodot. et Herodor. Heyn. Obss. p. 194. Polydoram aliquam cognovimus ex Pisandri fragmentis (p. 14.), sed ab illa Pherecydis Polydora diversa est. — Ex iis, quae apud Antonin. Liberal. l. l. leguntur statim ab initio, colligi potest, Herculem Pherecydeum sub vitae finem Mycenarum fuisse regem, inque eo honoris fastigio obiisse.

HERODOTUS HALICARNASSEUS historiam suam recitavit in conventu Olympico Olymp. LXXXI, 1; Athenis iterum Olymp. LXXXIII, 3. Alii aliter. Vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 329. Harl. Herodoti autem praestantiam non cum Diodoro lib. I. c. 37. in eo

---

57) Amalthea, Eubuli fabula; vid. sup. p. 31.

ponendam esse censeo, quod is scriptor tantum abfuit ut fabulis se dederet, ut rerum traditarum caussas adferre studeret; sed quod vera a fictis secludere, nec ea, quae non ipse cognovit menteque percepit, adfirmare audet; cf. sup. p. 34. Quod eo ipso modo, quo Herculem tractavit, planum fiet. Egregie vero Hercule potitus est Herodotus; nam hic scriptor omnium primus, qui non modo Graecum, verum etiam quos Hercules exterae gentes, Aegyptii, Tyrii, Thasii haberent, ipse cognovit et internoscere hos Hercules omnes et accurate describere unumquemque studuit. Atque hic puto ab Aegyptio Hercule ordiendum esse.

De Graecorum Hercule Herodotus nusquam in Aegypto audivit. Herculis vero nomen non a Graecis ad Aegyptios, sed ab his ad Graecos venisse, et ad eos quidem Graecos, qui nomen illud Amphitruonis filio imposuerint, cum ex multis aliis caussis Herodoto perspicuum esse videtur, tum ex eo, quod Herculis Graeci parentes, Amphitruo et Alcumena, originem et genus suum ab Aegyptiis repetant, atque Aegyptii alia Graecorum deorum nomina, ut *Ποσειδέωνος* et *Διοσκούρων*, quos propter navigationem, quam exercebant, potius quam Herculem colere et adoptare debuissent, plane ignota sibi esse confiteantur; lib. II, 43. cf. II, 146. VI, 53—55. Hercules apud Aegyptios non inter heroes est, quippe quos Aegyptii nullo cultu prosequuntur (II, 50.), sed vetustus iis deus est ex secundo deorum ordine, qui sunt duodecim. Nam ex quo tempore duodecim Aegyptiis dii exstiterunt, cum in priore deorum senatu octo fuissent, ex eo usque ad Amasin regem septies decies mille anni praeterlapsi numerabantur; II, 43. 145. De ratione, quae sit inter Aegyptiorum Herculem et Jovem (*Ἀμοῦν*) lib. II, 42. traduntur haec: Uno tantum cujusque anni die, in Jovis festo, Thebaei unum arietem caedunt, ejusque pellem detractam Jovis simulacro induunt, ad quod deinde aliud adducunt Herculis simulacrum. Quo facto cuncti, qui circa templum sunt, arietem verberant, quem postea in sacro conditorio sepeliunt. Hunc ritum sacrum Thebaei a caussa duxerunt hac: Herculem, ajebant, quondam Jovis conspectum prorsus omnem expetivisse, hunc vero ab illo se conspici noluisse; tandem Herculis assiduis precibus Jovem defatigatum illud invenisse, ut amputato arietis capite, quod prae se sustinuisset, et detracta arietina pelle, quam sibi induisset, Herculi se ostenderet; a quo idem illud, quod Aegyptii Jovis simulacrum arietina facie fingant, repetendum. cf. IV, 181. — Hercules ab Aegyptiis etiam in diis fatidicis numerabatur, et oraculum in Aegypto habuit; lib. II, 83. Ad ostium Nili Canobicum in littore Herculis templum fuit, ad quod si quis, cujuscunque hominis esset, servus confugisset et sacris notis insignitus esset, quo numini se traditum esse testaretur, nefas erat eum tangere. Quo templi beneficio Alexandri, qui Helenam rapuit, familia usa est; lib. II, 113. Perseus, Herculis proavus, apud Chemmitas in honore fuit; lib. II, 91.

De Tyrio et Thasio Hercule traduntur haec: Herodotus, qui certiora de Aegyptio Hercule scire cuperet, cum audisset, in urbe Tyro sacrum esse Herculi templum, ad hanc Phoenices urbem navigavit. In isto templo et dona vidit alia cumulate dicata

et duas columnas per noctem eximie splendentes, alteram ex auro cocto confectam, alteram ex lapide smaragdo [58]). Sermonem cum Herculis sacerdotibus orsus et percontatus, ex quo tempore templum illud esset conditum, ne hos quidem cum Graecis consentire animadvertit. Dixerunt enim, cum urbe Tyro pariter esse hujus dei templum exstructum; urbem vero suam incoli ab anno bis millesimo trecentesimo [59]). Praeterea Herodotus Tyri aliud templum vidit Herculi Thasio exstructum; et Thasum ipsam profectus ibi Herculis aedem reperit a Phoenicibus constitutam iis, qui Europae investigatione mare ingressi Thasum condiderunt; quod ipsum quinque hominum aetatibus prius fuit, quam Hercules Amphitruone natus in Graecia exsisteret; lib. II, 44.

Graecorum denique Hercules non deus, sed heros est et homo. Quapropter ex Graecis rectissime instituisse Herodoto videntur ii, qui bipartita Herculis templa exstructa habeant, unique Herculi ut immortali, cui Olympius cognomen, sacra curent, alteri ut heroi inferias faciant; lib. II, 44. 45. Graecum vero Herculem ab Aegyptio nomen obtinuisse, eundemque et hoc et Tyrio et Thasio multo juniorem esse, in superioribus ab Herodoto demonstratum est. Atqui apud Graecos ipsos cum Baccho et Pane Hercules inter novissimos deos numeratur, a quo ad Herodoti usque aetatem non amplius nongenti anni sint praeterlapsi; II, 145. cf. 146. Ad Graecorum ipsorum inconsiderata commenta scriptor refert, quod illi memorabant, Herculem, cum in Aegyptum venisset, ab Aegyptiis serto redimitum et ut Jovis victimam cum pompa eductum esse; aliquamdiu se continuisse; dein cum immolationem rite sibi parari animadvertisset, in vim conversum illos omnes interemisse. Quo commento Graeci egregie naturam et mores Aegyptiorum videntur ignorare. Quippe quibus ne ullum quidem animal fas sit immolare praeter oves (leg. *οἴων* pro *ὑῶν*), boves mares et vitulos, dummodo mundos, praeterque anseres: quo ii tandem modo hominem mactare parassent? ad hoc unus cum Hercules esset atque homo, qui potuit multa virorum millia occidere? lib. II, 45. add. 115. — In tripodum, qui fuerunt Thebis in Apollinis Ismenii templo litteris Cadmeis inscripti, uno epigramma hoc Herodotus conspexit: *Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκε νέων ἀπὸ Τηλεβοάων.* lib. V, 59. De Perseo, Amphitruone et Hercule nonnulla memorat lib. VI, 53. 54. cf. VII, 150. — Graeci, qui Pontum incolebant, Herculem narrabant Geryonis boves agentem in terram tum desertam venisse, quam Herodoti tempore Scythae incolebant. Geryonem vero extra Pontum insulam a Graecis Erythiam vocatam prope Gades, quae sunt extra columnas Herculis in Oceano, tenuisse. Illinc cum in Scytharum fines Hercules venisset, superveniente hieme et gelu, Herculem adducta sibi pelle leonina obdormisse; sed equas a curru disjunctas, ut interea pascerentur, divina quadam sorte ex conspectu discessisse. Quas

58) His columnis proponi columnarum in freto Herculeo effigiem, certum est; cf. sup. p. 31. add. Fabric. Bibl. Gr. I. p. 79. VIII. Harl.

59) De hoc Tyrii Herculis templo vid. Heeren Histor. Werke XI. (Ideen I, 2.) p. 12. 13. not.

cum expergefactus per omnes illos fines frustra quaesivisset, postremo Herculem in Hylaeam regionem venisse ibique in antro reperisse Echidnam, mixtae et geminae naturae virginem, quae superiore corpore usque ad clunes mulier, inferiore serpens fuisset. Ex hac Herculem quaesivisse, num quo equas suas errabundas conspexisset; tum mulierem se ipsam illas habere respondisse nec prius reddituram, quam secum ille coisset; eaque pactione ab Hercule, quod vellet, impetrasse. Sed mulierem cum Hercule diutissime versari cupientem equarum restitutionem procrastinasse; denique Herculi abitum maturanti reddidisse his verbis: Has ego tibi equas, quae huc venerunt, servavi, tuque servatarum pretium solvisti. Concepi enim ex te tres liberos, qui ubi adoleverint, expone jam mihi, quid facere debeam: utrum hic eos habitare jubeam, cum ipsa horum finium imperio utar, an tibi eos mittam. Herculem respondisse: Cum tu videris, illos aetatem virilem esse nactos, ita optime facies. Quem eorum animadverteris sic arcum tendere et balteo hac mea ratione cingi (δεικτικῶς), huic tu horum finium domicilium et imperium adde; qui ea, quae mando, praestare non poterit, eum hinc discedere jube. Tum Herculem arcuum duorum, quos eo usque gestasset, unum adduxisse et cum balteo, qui in extrema commissura phialam auream offerebat, mulieri tradidisse et discessisse. Illam pueris virilem aetatem consecutis non modo nomina imposuisse, unumque Agathyrsum, alterum Gelonum, minimum Scytham dixisse; sed etiam mandati memorem duos, Agathyrsum et Gelonum, periculo proposito non pares repertos patria expulisse, Scytham vero postulata exsecutum, retinuisse. Atque ab hoc Scytha, Herculis filio, perpetuos Scytharum reges oriundos; ab illa autem phiala Scythas in balteis phialas ad illud usque tempus gerere. Sic Graeci Pontici apud Herod. IV, 8—10. De Hylaea regione cf. c. 18. 19; de Agathyrsis eorumque finibus c. 49. 100. 102. 104. 125; de Gelonis c. 102. 108. 109. 119. 136. — Omnes Scythas Herculem ut deum venerari, testatur Herodotus IV, 59. Ab iisdem Herculis vestigium petrae impressum, viri vestigio simile, sed duorum cubitorum, juxta Tyren fluvium ostendi c. 82. — Hercules prope Magnesiae sinum, cum e navi Argo aquatum missus esset, ab Jasone ceterisque Argonautis relictus memoratur lib. VII, 193. — Hermionenses genere Dryopes sunt, qui per Herculem et Melienses a regione, quae postea Doris dicta est, propulsi in Peloponneso consederunt; lib. VIII, 43. cf. c. 31. 73. — Commentum de fluvio Dyra, qui Herculi in flammis (Oetaeis) opem ferre (sese effundendo) paraverit, adfertur lib. VII, 198. — Ex Herculis filiis memoratur Hyllus, cujus per posteritatem Lacones Leonidas et Leutychides genus suum usque ad Herculem reduxerunt; lib. VII. c. 204. 208; c. 220. (Pythiae oraculum); VIII, 131. Hyllus commemoratur etiam VI, 52; idem et Heraclidae et Eurystheus IX, 26. 27. Alcaeus, Herculis filius, cum ceteris in Lydia Heraclidis, quorum primus Agron, ultimus Candaules idemque a Graecis Myrsilus dictus Sardium imperium tenuere, ab Hercule et Jardani ancilla oriundus erat; lib. I. c. 7. add. c. 13. 14. — In Sicilia totam regionem Erycinam esse Heraclidarum, cujus possessionem ipse sibi Hercules peperisset, ubi id posterioribus temporibus Dorieus, Laconum regia stirpe ortus, comperit, oraculis inductus,

ductus, ut eo migraret ibique Heracleam conderet, classe profectus est sed a Phoenicibus et Segestanis superatus mortem occubuit, lib. V, 43 sq. — *Ἡρακλήϊον*, quod erat in Cynosarge, commemoratur lib. V, 63. extr. Cf. VI, 116, qui locus etiam Marathonii *Ἡρακληΐου* mentionem adfert; *τέμενος Ἡρακλέος* VI, 108. In Thermopylarum ingressu calida lavacra, quae *χύτρους*, h. e. ollas, indigenae vocabant, et prope illa Herculi exstructa ara; lib. VII, 176. Ad Alpenum, Locrorum Melienses versus primam urbem, collocatus esse memoratur lapis Melampygus et Cercopum sedes lib. VII, 216. Hebe tessera pugnantibus; lib. IX, 98.

De Aegyptio, Tyrio et Thasio Hercule in Encyclop. p. 35 sq. satis a me dictum esse arbitror. Sed de nomine *Ἡρακλῆς*, quod Herodotus Aegyptium nomen esse suspicatur, hoc loco nonnulla addam. Mirum videri potest, quod Hercules, apud diversos populos ipse natura diversissimus, hac omnium communi adpellatioue utatur. Hominum doctorum neque praestans neque novum artificium est, ut, quorum deorum et heroum nomina apud varias gentes eadem repererunt, hos a gente earum omnium antiquissima ortos esse et nominatos judicent. Quapropter ipsum Herculem ejusque nomen alii ab Aegyptiis, alii a Phoenicibus (הָרוֹכֵל circuitor, mercator) ad Graecos venisse contendunt. Cf. Clerici Bibl. Univ. I. p. 252. Muenter d. Religion der Carthager p. 43. Olao Rudbeckio (Atlant. c. 33.) et aliis ejusmodi hominibus somnia sua et peccata concedo. Sed hoc quaero, cum Hercules in Aegyptiorum sermone ipso esset Dsom vel Som, in Phoenicum Melcarth, qui fieri potuerit, ut apud hos idem esset *Ἡρακλῆς*. Dissimulari non potest, diversorum populorum Hercules natura esse diversissima ac prope contraria, neque usquam *Ἡρακλέους* nomen audiri, quo Graecorum ipsorum familiaritas aut arma non jam ante penetrarint. Quapropter sic existimo, cum Herculem tum hoc ipsum nomen, sive cum Matride apud Diod. I. c. 24. (*ὅτι δι᾽ Ἥραν ἔσχε κλέος*) sive alio modo explicari volueris, ortu suo Graecum esse idque nomen barbarorum auribus inculcatum, qui cum Graecis versari cogerentur. Etenim populorum duorum consuetudine facta etiam deorum utriusque popularium consuetudo quaedam fiat necesse est; neque in antiquitate geri bella, nec pax componi, nec jusjurandum dari, nec pactis et foederibus fides devinciri potest sine deorum numine et tutela. Cf. Herod. III. c. 8. II. c. 179. Polyb. VII. c. 9. init. Sed diversorum populorum numina neque natura neque adpellationibus eadem esse possunt. Qua de caussa, cum quid contrahendum est vel paciscendum, haec ipsa numina in societatem quandam et familiaritatem secum conferri et quasi reconciliari necesse est. In tali negotio a populis ea potissimum numina seligenda secumque conferenda esse, quae, quantumvis ortu et natura sint contraria, prae ceteris tamen virtutum quandam similitudinem offerant, patet. Atque ita cum deorum ipsorum per necessitatem facta societate etiam nominum divinorum collationes factae sunt, ut apud Aegyptios Amûn - *Ζεύς* (Herodot. II. c. 42.), Osiris - *Διόνυσος* (ibid. c. 144.), Bubastis - *Ἄρτεμις*, Orus - *Ἀπόλλων*, Isis - *Δημήτηρ* (c. 137. 156.), Apis - *Ἔπαφος* (c. 153. et III. c. 27. 28.); eoque ipso modo factus est Dsom - *Ἡρακλῆς*, et apud Phoenices Melcarth - *Ἡρακλῆς*. Jam

si quid video, apud Aegyptios haec deorum et Dsomi - Ἡρακλέους conjunctio Psammetichi potissimum tempore effecta est, qui, quod posteriores Aegypti reges more quodam suo fecerunt, Graecorum (Jonum) primus auxilia adhibuit iisque re feliciter gesta agros et pueros Graeca lingua imbuendos commisit; aucta vero et confirmata conjunctio illa est sub Amasidis imperio, qui Graecis impense favebat; Herodot. II, 154. 163. III, 11. 160. II, 177. 180 — 182. III, 47. Sed Herculem ejusque nomen a Graecis venisse et tantummodo a se adoptatum esse, postea Aegyptii, Graecorum consuetudine per longius tempus sublata [60]), videntur obliti esse, ita ut etiam Ἡρακλέους, qui idem jam iis factus erat atque Dsom, nomen ab omni tempore suum fuisse opinarentur. Quo factum esse arbitror, ut Herodoti, qui Graecorum more ipse omnia aliunde quam a Graecis repetere maluit [61]), tempore nihil de Graeco Hercule in Aegypto audiretur, et postea, cum Graeci Herculis cognitio per Alexandrum et Ptolemaeos in Aegyptum reducta esset, Aegyptii contenderent, a suo Hercule prisco Graecorum multo juniori et gloriae et nominis hereditatem obvenisse; Diod. I, 24. Phoenices, quo tempore Graecorum Herculem cum Melcartho suo contulerint, non facile dixeris; sed id jam mature factum esse probabile est; cf. sup. ad Hesiod. p. 11. Utcunque est, apud hos eodem vel simili modo res videtur accidisse [62]). Itaque ex populorum facta consuetudine Herculis illa unitas nata est, quam poetae Graeci, ut Pisander, Stesichorus, Panyasis, variis modis sustinuerunt et pertexuerunt. Qui Hercules in Asiae locis posterioribus, ut in Persis et Indis, reperiuntur, ii haut dubie a Graecis, qui cum Alexandro in illa loca penetrarunt et armis non magis ante quam postea cultu totam fere Asiam domuerunt, inducti et cum barbarorum illorum quibusdam numinibus exaequati videntur. Cf. Ouvaroff in Mémoires de l'Académie de St. Petersb. p. 475. Quodsi Hebraei maturius versari cum Graecis coepissent, neque pertinaciter postea omnia aliena respuissent, ejus gentis facile aliqua mythica persona, v. c. Samson, cum Graecorum Hercule se conjungere potuit. Qui Samson teste Augustino de civ. dei XVIII. c. 19. putatus est Hercules, sed, ut opinor, tantummodo a Graecis et Romanis, neque harum personarum collatio ulla exstitit. Is vero Hercules, quem primum omnium virorum fortium Germani ituri in proelia canebant (Tacit. Germ. 2.), Germanorum priscorum heros habendus est, cui Romani ob naturae similitudinem hoc Herculis nomen imposuerint. De his omnibus cf. Encyclop. Herakl. p. 8 sq. Denique Siculorum Ἠρύκαλος (Hesych.) et Tuscorum Herkele, Herkle, Herkole et Romanorum Hercules a Graeco Ἡρακλῆς ortae sed ad patrias illas dialectos conformatae formae sunt. Cf. Otfr. Mueller Etrusker IV, 4, 6. p. 279.

---

60) Cf. Cumberland Sanchoniato's Phénician history p. 79. London 1720.

61) Cf. Otfr. Mueller Orchom. init.

62) Nimiam barbaris eorumque sacerdotibus urbanitatem illi affinxerunt, qui eos, cum Graecos convenissent, Ἡρακλέους nomine pro numinis sui patria adpellatione usos esse simulant. Vid. Heeren loco not. 59. laudato.

De ceteris rebus, quas Herodotus adfert, pauca dicenda sunt. Ad illud Graecorum commentum lib. II, 45. referenda esse ea, quae ad rem attulerunt Panyasis et Pherecydes, jam supra notavimus p. 21. et 51. — Ad ea, quae Graeci Pontici de Erythia narrabant, cf. sup. p. 50. et infra Ephorus. Eorundem Graecorum fabula de Hercule et Echidna, unde orta sit, facile apparet. Agathyrsi, Geloni et Scythae sedibus, lingua, crebra belli societate, multisque omnino rebus sibi propinqui fuerunt, sed moribus et vitae genere distabant. Robur ac fortitudo maxime in Scythis valebat; Geloni contra (Herodotus Graecae originis eos esse judicat, cum et Graeca et Scythica lingua uterentur; IV, 108.) agris et hortis colendis studebant; Agathyrsi adeo lauti et effeminati erant, aliis tamen moribus et institutis ad ipsos Scythas pertinere videbantur; IV, 104. 109. Hanc populorum manifestam propinquitatem et non minus perspicuam distantiam per fabulam de Hercule et Echidna tribusque diversa natura procreatis filiis inventam Graeci Pontici explicare conati sunt, quae ratio haut rara est fabularum. Arcus ipse et balteus in fabulam eo illatus est, quod Scytharum gens his maxime armis insignis fuit. Sed is Hercules, qui apud Scythas colebatur, deus erat, eoque a Graecorum Hercule plane diversus; idque *Ἡρακλέους* nomen Scytharum alicui numini a Graecis potius ipsis inculcatum esse arbitror. Ad fabulae de Hercule et Echidna similitudinem commentum de Hercule et Celtine effictum est: Parthen. Erot. 30. Encyclop. Herakl. p. 21. not. 147. — Fabula de Hercule ab Argonautis relicto ad fidem narrationis Hesiodeae ab Herodoto traditur; vid. sup. p. 9. cf. Pherecyd. p. 47. De Dryopibus cf. Pherecyd. p. 49. 53. In commento de Dyra flumine, quod repetit Strabo IX. 655 (428), prima est atque una apud antiquiores historicos significatio Herculis Oetaei, qui per flammas in coelum adscendit; cf. Otfr. Mueller II. p. 427. et infra Sophocles. — Leonidas, Leutychides et Sardium prisci reges quod genus suum ad Herculem referebant, non mirum videri debet; nam haec est Heraclidarum ejusque posteritatis consuetudo. Atque haec venia danda est antiquitati, ut certorum testimoniorum defectu optimos suos et nobilissimos viros ex nominibus clarissimis ducat. — Ex iis, quae de Dorieo memorantur, elucet, Siculorum de Hercule commentorum magnam partem esse eandem rationem quam Peloponnesiacorum; vid. sup. p. 5. — De calidis lavacris in Thermopylis cf. Pisander sup. p. 14. — Ex loco Herodoteo VII, 216. jure colligi potest, de Melampygo et Cercopibus commenta, quae postea cum fabulis Lydiis coaluerunt, in Graecia ipsa, in Locrorum et Meliensium finibus eaque vicinitate orta esse. *Κέρκωπες* adeo inter Homeri scripta memorantur; sed ejus generis carmen haut dubie recentius est; Fabric. Bibl. Gr. I. p. 378. Maxime vero opportuna et accepta Herculis cum Cercopibus societas fuit poetis comicis et satyricis. Laudantur *Κέρκωπες* Hermippi, Platonis, Eubuli, Menippi; Fabric. II. p. 450. 486. 443. 469. Idemque Hercules, qui fuit cum Cercopibus, et ejusmodi alia effecerunt, ut in Herculis festis protervitas et joca scurrilia admitterentur; vid. Hegesander ap. Athen. VI. p. 260. et Telephanes ap. eundem XIV. p. 614. Nec non parasiti Herculi attribuebantur; vid. Clidemus et

Philochorus ap. Athen. VI. p. 235. Cf. Otfr. Mueller II. p. 427. 457. 458. Encyclop. Herakl. p. 27. not. 216.

Post Herodotum inprimis duo ex historicis antiquioribus spectandos esse censeo, Herodorum et Ephorum. HERODORUS Heraclea Pontica, Bithyniae urbe, oriundus, eoque dictus Heracleota et Ponticus, pater fuit Brysonis Sophistae, qui cum Socratis discipulis una fuit; ergo Herodorus ipse Socrati aequalis habendus est; Athen. XI. p. 509. Cf. Weichert ueber Apollonius p. 156. Otfr. Mueller III. p. 464. Herodorus scripsit Argonautica et libros *περὶ Ἡρακλείας*; in quo utroque opere Herculis nomen varie celebratum esse constat.

Herodorus Amphitruonis cum Telebois pugnam enarravit, quorum genus ad Perseum et Andromedam reduxit. Ex Pterela, Neptuni et Hippothoes filio, Teleboas et Taphus nati. Hi (Teleboae) Electryonem adierunt, ut sibi matris suae Hippothoes fortunas restitueret. Electryonidae cum repugnarent, ab illis exstincti sunt; Schol. Apollon. I, 747. — *Τὸ καρχήσιον* vid. apud Pherecyd. p. 45. — Apud Schol. Theocrit. XIII, 56. Herodorus cum Callimacho Herculem arcu Scythico, et Teutare Scytha magistro usum esse narrat. Apud eundem Scholiastam ad v. 9. Herculem ab Amphitruonis bubulcis educatum refert. — Quinquaginta Thestii virgines Hercules septem diebus vitiavit; Athen. XIII. p. 556. ubi *Ἡρόδωρος* pro *Ἡρόδωτος* scribendus est. — Bis furebat Hercules (primum cum liberos suos, deinde cum Iphitum exstingueret); Schol. Pind. Isthm. IV, 104. — Leo Nemeus e luna ortus; Tatian. I. p. 164. (ap. Iustin. Martyr. ed. Col.), in quo loco Herodori nomen pro falso *Ἡροδότου* restituendum est. — De hydra, cancro et Jolai auxilio vid. supra Hellanic. p. 38. — Aprum Hercules ad Mycenarum portas gestavit, ubi bestiam deposuit; Schol. Apollon. I, 128. — De Hercule contra Amazonas profecto vid. Hellanic. p. 39. add. Tzetz. ad Lycophr. 1332. — Cerberum in Heracleae vicinitate ab Hercule eductum esse Herodorus et Euphorion tradiderunt, et bestiam bilem evomuisse, ex qua aconitum ortum; Schol. Apollon. II, 354. — De Prometheo vincto nova haec attulit: Prometheum Scytharum regem fuisse, eumque, cum non posset civibus victum necessarium praebere propter fluvii, qui *Ἀετὸς* dictus esset, eluviones, a Scythis vinctum esse; Herculem advenisse et fluvium in mare avertisse, Prometheumque vinculis liberasse (h. e. aquarum deductionis beneficio cives adduxisse, ut Prometheum vinculis exsolverent); unde fabula, Herculem avem aquilam (*τὸν ἀετόν*) sustulisse; Schol. Apollon. II, 1248. — Herculem Atlantis onus suscipientem sic sibi Herodorus explicuit: Hercules, qui in divinatione et physica profecisset (*μάντιν καὶ φυσικὸν γενόμενον*), cum ab Atlante barbaro Phryge mundi columnas suscepisse tradatur, eo significari, eum coelestium rerum scientiam ab illo suscepisse; Clem. Alex. Strom. lib. I. p. 360. — Cum Argonautis Herculem et nonnullos alios omnino non navigasse, sed illum eo tempore apud Omphalen serviisse, ex Herodoro refertur apud Apollod. I, 9, 19. §. 5. et Schol. Apollon. I, 1290. In Herodori Argonauticis *Γηγενέες* (ad Cyzicum, Propontidis urbem, habitantes) Herculi bellum fecisse tradebantur; Schol. Apollon. I, 943. — Olympiae Herculem duodecim deorum

statuas posuisse, sexque aris statutis deos *συμβώμους* fecisse, Herodorus tradiderat arasque illas *διδύμας* dinumerarat. Prima ara Jovis et Neptuni, secunda Junonis et Minervae, tertia Mercurii et Apollinis, quarta Gratiarum et Bacchi, quinta Dianae et Alphei, sexta Saturni et Rheae, *ὥς φησιν Ἡρόδωρος;* Schol. Pind. Olymp. V, 10. His in Herodori narratione haut dubie proxime succedebant, quae leguntur apud Schol. Pind. Isthm. IV, 87: in agone Olympico [63]) Herculem ceteris sic potiorem fuisse, ut ejus corporis omnis magnitudo quatuor cubitorum et unius pedis esset; cf. Tzetz. ad Lycophr. 662. Chil. II, 36. v. 210. — Puerum aquam ministrantem, quem Hercules pugno interfecit, Herodorus in XVII. libro *τοῦ καθ' Ἡρακλέα λόγου* (vid. infra) Eunomum vocavit; Athen. IX. p. 410. — Dryopes ab Hercule domitos in Herodori libris occurrisse, colligi potest e Steph. Byz. *Δρυόπη*, ubi ejus gentis civem scriptor *Δρυοπαῖον* dixisse refertur. — Ab Hercule, qui, cum Joles nuptiae instarent, quamvis sagittis suis victor exstitisset, tamen eo matrimonio indignus judicatus esset, Oechaliam vi oppugnatam et eversam, Joles fratres necatos esse, Eurytum vero in Euboeam effugisse Herodorus tradit apud Schol. ad Eurip. Hippolyt. 545. — Herculem aliorum sententia crebro Theseo obviam factum, hujusque opera (arcanis Eleusinis) initiatum et ante eam initiationem a nonnullis imprudenter factis jam expiatum Herodorus a fabulis suis cohibuit, eumque tum demum, cum ad Trachinem ex erroribus et certaminibus conquiesceret (h. e. sub vitae finem), Theseo Lapithis auxilium ferenti et vehementer Herculem convenire cupienti cognitum esse tradidit; atque hunc amborum congressum multum exhibuisse et observantiae et comitatis et collaudationis ab utroque oblatae; Plutarch. Thes. c. 30. cf. c. 29. — Ex quinto Herodori libro Herculem famis expertem fuisse memoratum videmus apud Proclum ad Hesiod. Op. et D. 40. — Denique apud Plutarchum in Quaest. Rom. 93. Herodorus Herculem ait omnium maxime vulturis augurio laetatum esse ideo, quod vulturem omnium avium carnivorarum justissimam duxisset; cf. Plutarch. Rom. 9. Arist. Hist. Anim. VI, 6. IX, 12. —

Herodorum Heracleam scripsisse vel peculiari opere Herculis res exposuisse, in recentiorum doctorum libris late sparsa sententia est, quam ipse antea amplexus eram in Encyclop. Herakl. p. 12. Sed nescio, an error potius sit. Etenim pedestri oratione Herodorus scripsit [64]); sed omnes Heracleae, quotquot cognovimus, versibus confectae erant, idque ad ejusmodi scriptionis ipsam naturam videtur pertinere. Reliquiae vero Herodori ipsae magnam partem sunt geographicae et locorum et gentium tam accuratam et diligentem descriptionem ostendunt, quam Heracleae consilium ac fines vix pati potuissent. Denique apud scriptores veteres ne unum quidem locum reperio, quo Herodori He-

---

63) Legendum est *ἐν Ὀλυμπιάδι* pro *ἐν Οἰδίποδι*. Otfr. Mueller III. p. 465.

64) In Apollon. Schol. II, 1211. adferuntur duo Herodori versus de Nysa; sed cum iidem apud Diodorum lib. I. c. 15. ex hymnis Homericis adducantur, in Scholiis illis lacuna videtur esse. Cf. Wessel. ad Diod. l. l.

raclea hoc ipso nomine laudetur. His de caussis statuere non possum, Herodori libros Heracleam fuisse. Scripsit vero praeter Argonautica libros de Heraclea urbe, ubi ipse natus fuit [65]), atque in his libris, ut apud antiquiores historicos fere omnes, Herculis, cujus multa facta ad urbem illam ejusque vicinitatem vel fama pertinebant vel ab hoc ipso scriptore trahebantur [66]), aliarumque rerum frequens erat memoria. Atque eruditus Apollonii Scholiasta, apud quem Herodorus fere semper sine operis nomine citatur, ad II, 815. Herodorum laudat *ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας*. Neque dubito, quin apud Athenaeum IX. p. 410. ubi est *τοῦ καθ᾽ Ἡρακλέα λόγου*, corrigendum sit *τοῦ καθ᾽ Ἡράκλειαν λόγου*. Plutarchus in libris *περὶ Ἡρακλέους* [67]) conscribendis num praeter antiquiores poetas, quos de Hercule memorasse adfert (vid. sup. p. 4.), Herodorum ducem sibi delegerit, cum de illis libris hodie plane nihil nisi nomen supersit, non facile dixerim. Cf. tamen Heeren de font. Plut. p. 17. Sed Apollodoro Herculis fabulam persequenti non solum fontem largissimum in rebus enarrandis sed etiam in ordinandis et digerendis singulis ducem praecipuum hunc Herodorum fuisse perspicuum est. Sed revertor ad illud, quod antea dixi, Herodorum libros de Heraclea urbe sua conscripsisse. Jamque ea, quae referuntur apud Apollonii Scholiastam de Idmone I, 139. II, 815. 848, de Lyco, Mariandynorum rege II, 752, non Herculis contra Amazonas proficiscentis commemoratione adducta esse [68]), sed haec cum ad Heracleam urbem illamque vicinitatem pertineant, in ipsis Herodori historiae fundamentis numeranda existimo, iisque profectionis istius mentio, ni fallor, adducta fuit. Cf. Nymphis ap. Apollonii Schol. II, 752. 780. 786. 815; ap. Athen. XIV. p. 619. add. Herodorus et Nymphis ap. Schol. Apoll. II, 854. Encyclop. Herakl. p. 20. a. Quae Stephanus Byz. sub *Γλῆτες* et *Κυνητικὸν* ex Herodori libro decimo (ubi leg. *Ἡρόδωρος δεκάτῳ τῶν καθ᾽ Ἡράκλειαν*) — adde locum ex Constantin. Porphyrog. de Themat. II, 23. in Stephani librum receptum s. v. *Ἰβηρίαι* — de Iberiae locis et gentibus adfert, ea non dixerim in Herculis contra Geryonem profectione describenda tractata fuisse, sed omnino esse notitias geographicas, quas saepe historici antiquiores hinc illinc adsumptas in narratione intexere soleant. Idem statuo de Stephani loco *Πευκέτιοι*, quos Herodorus *Πευκετεῖς* dixisse ibi refertur; quamquam jam Hellanici et Aeschyli tempore fabulae Italicae cum Graecis de Hercule commentis coaluerunt; vid. sup. p. 43. et infra de Aeschylo. cf. Otfr. Muel-

---

65) Item Nymphis Heracleota posteriore tempore scripsit libros *περὶ Ἡρακλείας*, in quibus saepe cum Herodoro consentit; vid. paullo inferius. Sed etiam hic Nymphis falso putatus est Heracleae scriptor. Cf. Athen. XII. p. 536. 549. XIV. p. 619. et Apollonii Schol. pluribus locis. Itaque ap. Steph. Byz. in *Ὕπιος* legendum est *ὡς Νύμφις ἐν πρώτῳ περὶ Ἡρακλείας*. Vid. apud eundem in *Φρίξος*.

66) Vid. sup. ad Pindar. p. 30. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 156. Otfr. Mueller Orchom. p. 292.

67) Vid. Plutarch. Thes. 29. Gell. N. A. I, 1.

68) Otfr. Mueller III. p. 465.

ler III. p. 466. Argivos Herodorus Ἀργειάδας dixit poetarum priscorum exemplo; vid. Steph. Ἄργος. Sed ad singula, quae supra proposuimus, examinanda accedamus.

In narratione de Telebois Herodorus maxime ea respexisse videtur, quae sup. p. 10. ex incerto Hesiodeo carmine protulimus. Sunt quidem hic illic diversa aliqua, at non inter se pugnantia. Genus Teleboarum Apollodorus quoque a Perseo ducit, sed Pterelaum Taphii filium fuisse tradit, cum Herodorus Pterelam Taphi et Teleboae fecisset patrem; ceteram discrepantiam vide ipse apud Apollod. II, 4, 5. coll. Apollon. Schol. I, 747. — Τὸ καρχήσιον jam pridem in Herculis procreationem receptum erat; cf. sup. ad Pherecydem. p. 49. — De Herculis institutione et educatione cf. Dionys. Miles. sup. p. 37. Rhadamantho magistri partes tribuit Aristoteles, Chironi et Thestiadae alii; vid. Schol. Theocrit. Id. XIII, 9. Cf. Otfr. Mueller II. p. 453. Inter Amphitruonis boum armenta Herculem adolevisse cum Herodoro narrat Apollodorus, sed pro Teutare Scytha hic Eurytum sagittarium profert magistrum II, 4, 9. Cf. Schol. Lycophr. 50. Encyclop. Herakl. p. 14.b. Heyn. Obss. ad Apollod. p. 154. Arcus Scythicus et per Scytham institutio cum Graecorum Ponticorum fama apud Herodotum facile cohaeret; vid. sup. p. 56. — De Thestii filiabus vid. sup. ad Hellanic. p. 41. et infer. Ephorus. Numerum quinquaginta filiarum suscepit Apollodorus, sed is totidem noctes ad concubitum Herculi concessit II, 4, 10 cf. Encyclop. Herakl. p. 15. — Herculis funesta et exitiosa vesania omnino a Tragicis poetis inventa res est, et ab iis post reditionem ex inferis posita; cf. sup. p. 53. et infra Euripides. Sed Tragicis una vesania satis erat. Jam vero cum liberorum interfectio juxta atque Iphiti caedes maximam immanitatem ostenderet, postea hanc utramque rem a vesania repetere historicis placuit, ex quibus Herodorus facile primus est, qui duplicem vesaniam statuerit, in quo secutus est Apollodorus; vid. II, 4, 12. II, 6, 2. Ita cum illae duae res in posteriore fabula longiore narrationis intervallo a se secluderentur, has quoque vesanias locis diversis ac seclusis collocari necesse fuit, ut est apud Apollodorum ll. cc. — Leo Nemeus luna ortus, quod commentum jam Anaxagoras (Schol. Apollon. I, 498.) et Epimenides (Aelian. de Nat. Anim. XII, 7.) respexerunt, ad Herculis cum rebus coelestibus priore tempore effectam conjunctionem accedit; vid. sup. de Pisandro, Panyaside, Stesichoro. Cf. Otfr. Mueller II. p. 442. Apollodorus ex Typhone natum leonem tradit II, 5, 1. cf. sup. Hesiod. p. 6. — Aprum (quem jam memoravit Hecataeus sup. p. 34.) in urbem Mycenas Hercules intro fert apud Apollodorum II, 5, 4. §. 9. Sed magis sibi constitisset Apollodori narratio, si ante portas bestiam Hercules abjecisset, ut vult Herodorus. Nam Eurystheus Herculi urbis introitu interdixerat apud ipsum Apollodorum II, 5. 1. §. 6. — Cerberum ad Heracleam urbem protractum apud Heracleotas in fama fuisse docet Xenoph. Anab. VI, 2, 2. et Pausaniae locus lib. V. c. 26. de Heracleotarum donis Olympiae dedicatis; add. Dionys. Perieg. 788. Ipsa illorum locorum natura ad inferos aditum sibi deposcere videbatur; vid. Nymphis apud Apollon. Schol. II, 729. Pompon. Mel. I, 19. ibique Tzschuck. add. Otfr. Mueller II. p. 419. In sua vicinitate Herculem cum Cerbero prodiisse, plures gentes et urbes contende-

bant; Heyn. Obss. ad Apollod. p. 178. Encyclop. Herakl. p. 25. not. 191. De aconito ibid. not. 192. — De Prometheo fabulae variarunt; vid. Hesiodus et Duris apud Apollon. Schol. II, 1249. Herodori vero de Prometheo et de Atlante commenta hominis in interpretando et audaciam et argutias ostendunt; sed haec non mirabitur, qui cogitat, Herodori tempore Sophistarum rationem vel maxime viguisse. De Atlante Herodorum haut dubie consuluit Diodorus IV, 27. III, 59. Atlantem cum Herodorus in Phrygem converteret, fortasse id studuit, ut fabulas de Hercule praecipuas in majore urbis suae propinquitate collocaret. — Herculem Argonauticae expeditionis tempore apud Omphalen fuisse, Herodorus haut dubie in Argonauticis scripsit; postea idem retulit Ephorus, de quo infra. Atque etiam Apollodorus in Herculis rebus enarrandis illam expeditionem non intexuit; vid. II, 6, 3. Nihilo tamen minus de Herculis rebus Herodori Argonautica memorabant, quod docet locus ap. Apollon. Schol. I, 943. supra adlatus. — De statuis et aris ab Hercule Olympiae positis cf. sup. Pindar. p. 27. add. Herodor. ap. Schol. Apollon. II, 532. et Heyn. Obss. ad Apollod. p. 186. — Herculis proceritatem veteres ex stadio Olympico describebant, quod ille pedibus suis metatus esse credebatur. Sic jam Pythagoras ratiocinatus erat; A. Gell. N. A. I, 1. *Τετραπηχυαῖον* Herculi corpus tribuit Apollodorus II, 4, 9, §. 4. Cf. Solin. Polyhist. c. I. p. 6. G. Corporis proceritate Herculem non antecelluisse dixerat Pindarus sup. p. 27. Praeterea Sophistarum et veterum rhetorum exercitationes versari solebant in describenda heroum specie et figura; idque de Hercule fecisse Hieronymum et Dicaearchum testatur Clemens Alex. in Cohort. ad Gent. p. 26. Cf. infra Euripides. — Eunomi pueri nomen probavit Apollodorus II, 7, 6. *Ἔννομος*, ut passim scribitur, corrupta scriptura est. Cf. sup. p. 22. 40. — De Dryopibus cf. sup. p. 49. 53. 56. — De Joles nuptiis et Oechaliae expugnatione quae Apollodorus profert, ea ab Herodoro habere videtur; vid. II, 6. init. et II, 7, 7; praeter quod apud juniorem scriptorem Eurytus occiditur, apud antiquiorem fuga in Euboeam elabitur. Sed id ipsum, quod apud Herodorum Hercules in Euboeam fugit, nescio an ex Pherecydea narratione apud Schol. Sophocl. Trachin. 354. repetam, ita ut Herodorus quoque Oechaliam non in Euboea, sed in Arcadia posuerit; vid. sup. p. 48. 53. Omnino de situ hujus Oechaliae multum sententiae discrepant; vid. Otfr. Mueller II. p. 412 sq. Sed antiquissimis et optimis testimoniis, quae Sophocles in Trachin. secutus est, puto eam urbem in Euboea quaerendam esse. Herculem a Theseo initiatum et expiatum (cf. infra Euripides), item ex inferis reductum idcirco memorare Herodorus non potuit, quod fabulam de Cerbero protracto plane alio loco h. e. in Heracleae vicinitate posuerat. Cf. sup. p. 36. Atque apud ipsum Homerum Od. λ, 630. Ulysses utrumque, Theseum et Pirithoum in inferis reperit, quod secutus est Virgilius in Aen. VI, 617. 618. De Theseo, qui cum Hercule fuisset, nonnulla jam ante Hellanici aetatem audiebantur; vid. sup. p. 41; sed tamen horum virorum conjunctio et familiaritas maxime per poetas Tragicos aucta et confirmata videtur esse; vid. infra Euripides et Ephorus. — Famis denique vacatio in Hercule contra nimiam ejus voracitatem efficta est; cf. sup. p. 28. 31.

EPHORUS CUMAEUS, natus Olymp. XCIII. et una cum Theopompo Isocratis disciplina usus, vitam suam usque ad Alexandri tempora videtur produxisse. Scripsit Historias. Vid. Suidas et qui novissimam curam de Ephoro adhibuit Meier Marx in Ephori Cumaei Fragmm. 1825. — In libro primo quinquaginta Thestii filias memoravit, quas virgines omnes una nocte (ἅμα) Hercules compressisset; Theon. Prog. p. 12. Marx. fr. 8. — In urbis Abderi (scripsit enim Ἄβδηρον in neutro genere) commemoratione haut dubie miseri Abderi a Diomedis equabus distracti et omnino totius illius ab Hercule suscepti periculi memor fuit, quod colligi potest ex Steph. Byz. Ἄβδηρα. Infuit haec memoria in libro IV. Marx. fr. 72. — Erythiam memoravit teste Plinio in N. H. IV, 22: Ab eo latere, quo (Gades) Hispaniam spectat, . . . insula est . . ., in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro et Philistide Erythia, a Timaeo et Sileno Aphrodisias. Ex libro IV. Marx. fr. 40. — In sacro promontorio, quod in extrema Hispania est, Herculis fanum esse Ephorus dixerat; sed hanc rem eum ementitum esse contendit Artemidorus apud Strab. III. p. 202 (138). Ex lib. IV. Marx. fr. 41. — Theseum omnium maxime beneficiis ab Hercule ornatum esse Ephorus ex Apollinis responso, Hyllo et expeditionis contra Spartam sociis dato, in libro I. narrat apud Schol. Pindar. Pyth. V, 101. Marx. fr. 11. — In Colchidem profectionis Ephorus Herculem non popularem fecerat, sed eum propter Omphalen relictum esse atque etiam sponte apud hanc Lydorum reginam remansisse tradiderat lib. I; Schol. Apollon. I, 1168. 1290. Marx. fr. 9. — Certaminis cum Gigantibus Ephorus in libro IV. memor fuit. Namque hos, qui olim circa Phlegram, postea Pallenen dictam, tenuissent, homines fuisse feroces, sacrilegos, anthropophagos dictosque Gigantas, quos Hercules post Trojae eversionem domuisse traderetur; et cum Gigantum improborum multitudo ab Herculis sociorum paucitate devicta esset, visum hoc omnino esse deorum opus; Theon. Progymn. p. 60. Marx. fr. 70. — Hercules urbes (in Peloponneso) cepit et Olympicum certamen instituit, in quibus postea eum imitatus est Phido Argivus. Ex lib. I. ap. Strab. VIII. p. 549 (358). Marx. fr. 15. — Denique Ephorus Aegimium, Dorum circa Oetam regem, qui Pamphyli et Dymanis (Dymantis) pater tertium Hyllam — Hyllum [69]) —, Herculis filium, adoptasset, ut suae in regnum restitutionis ab Hercule factae gratiam referret, commemoravit lib. I. Steph. Byz. Δυμᾶν. Marx. fr. 10. — (Ab Ephoro juniore ductum est, quod refert Natalis Com. in Mythol. lib. I. c. 10: in sacris Herculis albas populos, cerros, aut aesculos aut cornos adhiberi.)

Ephorus in Historiarum libro primo Heraclidarum reditum enarravit, quae res Herculis crebram memoriam adduxit. Sed caute hic scriptor egit in priscis fabulis historiae suae admiscendis; vid. Diod. IV, 1. cf. Marx p. 51 sq. Nova ad Herculis fabulam in Ephori Historiis plane non videntur accedere; quapropter ea tempora antiquioris hujus fabulae esse terminos ac fines jure contendi posse existimo. — De The-

69) De utraque forma Marx p. 96. not. 2.

stii filiabus cf. sup. p. 41. Omnium libidinosissimus Ephori Hercules est, qui illas quinquaginta omnes una nocte vitiarit. — De Abdero vid. sup. Hellanic. p. 39; de Erythia sup. p. 50. 55. — Herculis in Theseum beneficium maximum ex inferis reductio videtur esse; itaque Ephorus aliter statuit atque Herodorus; vid. sup. p. 61. 64. Oracula a Doribus in Peloponnesum irrupturis consulta ansam videntur dedisse, ut ipse Hercules pluries deum Delphicum adiisse confingeretur; vid. Apollod. II, 4, 12. II, 6, 2. cf. sup. p. 19. not. 14. — De Hercule apud Omphalen vid. sup. p. 60. Quod sponte apud mulierem Hercules remanet, in eo expressa videntur exstare vestigia posterioris fabulae, quae Herculem in illa commoratione effeminatum esse addidit; vid. *Otfr. Mueller* II. p. 450. Encyclop. *Herakl.* p. 27. not. 218. Inde *lecti Herculei* et alia ejus generis; vid. Megaclid. ap. Athen. XII. p. 512. Commentum de Hyllo (Hyla), Herculis filio, qui cum aquatum isset, non reverteret, tractavit *Anticlides* in Deliacis lib. II; vid. Schol. Apollon. I, 1290. cf. Theocrit. Id. XIII. Apollod. I, 9, 19. — Campos Phlegraeos et Herculis contra Gigantas pugnam jam Pindarus cecinit; vid. sup. p. 26. 27. cf. infra Sophocles et Euripides. Post Trojam eversam hoc certamen cum Ephoro ponit Apollod. II, 7, 1; quod tamen contra Pindarum est; vid. sup. p. 32. Ephorus, qui Gigantas homines diceret et deorum a certamine praesentiam secluderet, mentis suae angustias prodidit. — Phidonis Argivi, qui genus suum ad Herculem reduxit (vid. Palmer. ad Strab. l. l.), conatus et Dorum contentiones, de quibus supra p. 5. dictum est, simillimae. De hoc homine cf. Marx p. 108. 161. — De Aegimio vid. sup. p. 10. Cf. Strab. IX. p. 654 (427), ubi *Αἰγίμιος* pro *Αἰπάλιος* restituendus est. *Marx* ad fragm. laud. *Heyn.* Obss. ad Apollod. p. 195. Herculis in Aegimium merita haut dubie a posterioribus Heraclidarum postulationibus repetenda sunt; Diod. IV, 58. cf. 37.

Reliquum est, ut Graecorum principes *Tragicos* adjungamus, qui in Herculis persona et rebus depingendis modo poetas antiquiores, ut Homerum et Hesiodum, modo juniores, ut Pisandrum et Stesichorum, pro ingenio quisque suo secuti sunt. Tragoedia cum fabulas non magis ad superioris famae fidem quam ad scenae fines et rationes conformaret, et plurimam variandi et luxuriandi copiam poetis ipsis relinqueret, tum Herculem a prisca imagine et veritate longius sevocavit, quam, quos hucusque cognovimus, poetae et historici fecerunt. Tamen haec ipsa poetarum Tragicorum ratio multum valuit ad commenta posteriora.

AESCHYLUS, quarto anno Olympiadis LXIII. natus, primo Olymp. LXXXI. mortuus. In ejus *Agamemnone* 1032. 1033. Clytaemnestra ex fama adfert, Alcumenae filium venditum quondam servitutem tolerasse ac vi coactum jugo se submisisse. Ex *Prometheo Vincto* huc pertinent ii loci, in quibus Promethei futura liberatio agitur, ut vv. 509. 770—774. 781. 871 sq; et 1026 sq., ubi de Promethei malorum vicario, qui pro eo mortem passurus sit, mentio injicitur. Sed multo plura insunt in *Promethei Soluti* reliquiis. Primus huc pertinet versus *Ἀγρεὺς δ' Ἀπόλλων ὀρθὸν ἰθύνοι βέλος* ap. Plutarch. Amator. p. 757. Schuetz. fr. 379; deinde versus *Ἐχθροῦ πατρός μοι τοῦτο φίλτατον τέκνον* ap. Plutarch. in vita Pompeji p. 619. Sch. fr. 187. Sequuntur ea,

quae profert Athenaeus lib. XV. p. 674: in Promethei vincti honorem capita coronis redimiri; (add. fragm. ex Sphinge ap. Athen. l. l. Sch. fr. 214.). Prometheus vinculis solutus Herculi iter exposuit, venturumque eum esse praedixit ad Boreae flatus, quorum ne impetu procelloso abriperetur, caveret; vid. apud Galenum in Comment. I. ad Hippocr. Epidem. VI, 29. Sch. fr. 181. His proxima profert Prometheus solutus apud Strabonem, venturum Herculem esse dicens ad Ligurum intrepidum exercitum, cujus bellicam virtutem, quamvis ipse bellicosus, non reprehensurus sit. Decretum enim esse, ut illic etiam spicula relinquat. Nullum vero praesto ei futurum lapidem, quem ex humo avellat, quoniam totus ille ager mollis sit. Sed fore, ut Jupiter his angustiis cognitis viri misertus lapidum rotundorum deturbata nube terram obscuret, quos conjiciens Hercules facili negotio Ligusticum exercitum superaturus sit; Strab. IV. p. 277. 278 (183). Tres primos horum versuum citat etiam Dionysius Halicarn. in Antiq. Rom. lib. I. p. 34. ed. Sylburg. Eadem fere profert Hyginus in Poet. Astron. II, 6. (Engonasin) his verbis: Aeschylus in fabula, quae inscribitur Prometheus Lyomenos, Herculem ait esse non cum dracone sed cum Liguribus depugnantem. Dicit enim, quo tempore Hercules a Geryone boves abduxit, iter fecisse per Ligurum fines, quos conatos ab eo abducere pecus, manus contulisse, et quam plures eorum sagittis confixisse. Sed postquam Herculi tela dificerent, multitudine barbarorum et inopia armorum defessum se ingeniculasse, multis jam vulneribus acceptis. Jovem autem misertum filii curasse, ut circa eum magna copia lapidum esset, quibus se Herculem defendisse et hostes fugasse. Itaque Jovem in similitudinem pugnantis inter sidera constituisse. Schuetz. fr. 182. In eodem Prometheo occurrit, Rhegium dictum esse *ἀπὸ τοῦ ἀποῤῥαγῆναι ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν*. Strab. VI. p. 396 (257). Sch. fr. 189. Denique eadem Promethei praedictione Hercules aditurus erat Gabios (gentem Scythicam), justitiae et hospitalitatis laude maxime insignes, qui non vomere aut ligone ad arva proscindenda utantur, sed quibus tellus ultro alimenta large suppeditet; Steph. Byz. *Ἄβιοι* Sch. fr. 184. cf. Strab. VII. p. 460. A (300). De Scythis Strab. p. 461. A. Sch. fr. 190; de Istro Schol. Apollon. IV, 284. Sch. fr. 183. A choro sine dubio pronuntiata sunt, quae ex Prometheo Soluto adfert Strabo lib. I. p. 58 (33). Sch. fr. 178. — Praeterea Aeschylus Telephum scripserat; vid. Schuetz. fr. 217. 218. — Miseri Lichae tumulus in Euboico flexu circa Jovis Cenaei actam memoratur in fragmento ex Glauco Marino, quod exstat apud Strab. X. p. 687 (447). Sch. fr. 23.

Locus in Agamemnone quo spectet, non obscurum est. Rem commemoratam jam vidimus ap. Panyasin, Hellanicum, Pherecydem, Herodorum et Ephorum, quos vide supra et infra Sophoclem [70]). — Promethei malorum vicarius mortemque pro illo oppe-

---

70) Omphale in scenam producta est ab Achaeo, Jone, Antiphane et Cratino juniore. Vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 280. 307. 418. 435. Sosithei (Sosibii) prodiit Daphnis s. Lityersas; ibid. p. 321. 322. cf. Encyclop. Herakl. p. 27. not. 217.

titurus de Mercurii l. l. perorantis sententia θεῶν τις erit. Sed posterior fabula, quo nihil accidere potuit ineptius, Chironem substituit, cujus mors in Herculis multo ante gestis rebus locum obtinuit; vid. Apollod. II, 5, 4. et II, 5, 11. An dicam, hanc Chironis mortem primo ad Promethei liberationem pertinuisse, postea in Centaurorum pugnam inlatam esse? — Versuum duorum apud Plutarchum unum Hercules arcu in aquilam infestam directo pronuntiavit, altero Prometheus modo liberatus Herculem laudavit [71]). — Ex loco apud Athenaeum apparet, Herculem in Aeschyli fabula corona adsumpta Promethei vincula quasi redemisse, unde apud Apollodorum II, 5, 11. δεσμὸν ἑλόμενος τὸν τῆς ἐλαίας. Ex hoc commento puto esse, quod Hercules postea pluries coronatus prodierit; cf. Otfr. Mueller II. p. 420. Heyn. Obss. p. 174. Encyclop. Herakl. p. 35. not. 337. — Dehinc in Aeschyli fabula Prometheus vinculis exemtus Herculi, beneficii immortalis auctori, iter, quod instaret, descripsit, quod officium idem Prometheus sed vinctus praestiterat Jo erranti; vid. Aeschyl. Prom. Vinct. Sed quaeri potest, quodnam iter Prometheus Herculi descripserit. Nempe Strabo l. l. p. 277. illum dicit huic iter a Caucaso ad Hesperidas exposuisse, contra Dionysius Halic. l. l. pericula in Geryonea expeditione subeunda praedici. Equidem puto Dionysium hac parte verum dixisse, non solum quod adstipuletur Hyginus l. l., sed quod etiam Hellanicus historicus Herculis in Italia gesta cum reditione a Geryone contexuerit (vid. sup. p. 39.), Graeci Pontici vero Herculis apud Scythas adventum, quem ipsa Aeschyli fabula praedicat (vid. de Gabiis etc.), in eodem reditu memorarint (vide sup. Herodot. p. 55.); nec non Apollodorus II, 5, 10. Herculis per Ligures Italiamque factum iter eodem loco collocarit. Sed cum uterque scriptor, et Strabo et Dionysius, qui illa diversa referunt, magnum habeat nomen multamque meruerit fidem, non possum non putare, illas duas res, Herculis ad Geryonem et ad Hesperidas profectiones, saepe inter se ab antiquitate esse confusas. Neque hoc mirum. Nam, qui utrumque periculum sustinuit, is Hercules Tyrius ortu fuit atque utrobique cum Sole et rebus astronomicis conjunctus; vid. sup. Panyas. p. 21. Deinde utriusque profectionis finis ac terminus eodem modo in extremo occidente fuit, in Iberia; atque illa ipsa Graecorum μῆλα, propter quae Hercules missus, et pecora et mala esse potuerunt; cf. Encyclop. Herakl. p. 23. not. 157. Quapropter etiam Diodoro, quod accidere potuit homini imprudenti, cum ex diversis fontibus hauriret, id usu venit, ut Herculis in Libya res gestas et Busirin et Antaeum in utrumque Herculis periculum inferret; Diod. IV, 17. 18. et 27. — Sed redeo ad Aeschylum. Aeschyli et Hellanici aetate Graeca de Hercule commenta cum Italicis fabulis commista esse, jam supra demonstratum est p. 43. Jamque Promethei descriptio omnis, quae reliqua est, ad Herculem a Geryone revertentem spectat. Is igitur in hoc augurato reditu a Galliae ora australi per

---

71) Promethei liberatio expressa fuit in tabula templi Jovis Pelusiotae. Fecerat pictor Evanthes; describit Achilles Tatius in Clit. et Leucipp. III. c. 8.

Ligures et Italiam usque ad Rhegium, adde in ipsam Siciliam, penetravit, denique ad Scythas pervenit. De vento illo violento et campo lapideo vid. Strab. IV. p. 276. 277. ibique Aristotelis et Posidonii sententias, et Casaub. Add. M. G. Hermann Hdb. d. Mythol. III. p. 48. 49. n. 50. et Tzschuck. not. exeget. in Pompon. Mel. II, 5. Hyginus l. l. eo peccat, quod omnia, quae ex Aeschyli fabula adfert, non ut ex Promethei vaticinio gerenda sed ut ab Hercule jam gesta peractaque proponit. De Hercule ἐν γόνασιν aliter atque Aeschylus statuit Panyasis; sup. p. 18. De re vid. Hermann p. 45 sq. De Rhegii adpellatione quamquam Aeschylus aliter statuit atque Apollodorus II, 5, 10. §. 10. aliique, tamen Rhegii adventum et in Siciliam trajectionem illo Promethei vaticinio Herculi contigisse planum est; cf. Heyn. Obss. p. 164. Gabios Scythasque [72]) cum Hercules aditurus esset, haut dubie Graecorum Ponticorum fama spectabatur, quam uberius exposuit Herodotus sup. p. 55; ex Scythis rediens ad Istrum flumen, pro quo Apollodorus II, 5, 10. Strymonem nominat, pervenire Hercules potuit. — De Telepho cf. sup. p. 22. 34. 35. et inferiore loco Euripides. — Locus de Licha et Jovis Cenaei acta commenti, quod coluit Sophocles in Trachiniis, antiquitatem testatur.

SOPHOCLES, Olymp. LXX, 2. natus, Olymp. XCIII, 3. mortuus, Herculis nomen ac res pluribus fabulis in scenam produxit. Sed deperditi sunt hujus Amphitruo, Hercules ad Taenarum, Jolaus, Iphicles. Haut dubie Herculis memoriam habuerunt, certe attigerunt Peleus (cf. infer. locum ex Ajace), Polyidus (cf. sup. p. 47.), Prometheus, Tyndareus (vid. infra), Philoctetes in Troja. Sed in Theseo, Colchidibus, Cophis, Lemniadibus, Scythis, Phineo (cf. sup. p. 37.) Herculis memoriam omissam esse ex omnibus, quae exstant de Hercule Sophocleo, colligo. Ultima potissimum Herculis fata, sed ceteris ejus rebus non prorsus neglectis, celebrant Trachiniae, ex quibus quae magis fabulae quam poetae inventioni deberi videantur, non ubique facile est dictu.

Hercules Thebanus multis vitae fluctibus agitatur; sed eum semper a Plutonis aedibus deorum aliquis arcet; Trach. 111 — 120. (ad librum Both.) — Graecorum maria et saltus purgavit 984. — Junonis odium et Eurystheus 1011. 1012. — Herculis servitus et labores 34 — 36. — bellum cum Gigantibus 1022. — leo Nemeus 1055 — 57; Lernaea hydra 1057; pugna cum Centauris et aper Erymanthius 1058 — 1060; Plutonis canis triceps, Echidna natus 1061. 62; draco, malorum aureorum custos in extremis terrae finibus 1062. 63; innumerabiles praeterea labores Herculis a nemine devicti 1064. 65. — Chironem immortalem sagittae ictu Hercules intolerando affecit dolore 702. 703. — Dejanira, Oenei filia, Herculis facta uxor 396 — 398. Huic antea, cum Pleurone apud patrem esset, procus contigit Achelous fluvius, qui triplici specie et figura, modo taurus, modo draco, modo vir taurino corpore mulieris ambiebat torum 9 — 14. Postea exoptatus advenit Jovis et Alcumenae inclytus filius, qui pugna cum illo congressus

72) Scythae etiam Jo erranti adeundi erant Promethei vaticinio; vid. Aeschyl. Prom. Vinct. 709.

mulierem liberavit 18—21. Pugnam et pugnantium habitus describunt versus 499—513. Achelous in pugna taurus erat; Hercules arcum, hastilia et clavam adhibebat l. l. Dum pugnatur, Dejanira anxia in colle sedens exspectabat, utrum habitura esset maritum 514—519. cf. 21—25. Hercules victor Dejaniram tori sociam nactus est 26 sq. Hercules cum muliere parta ad Evenum amnem venit, per quem Nessus Centaurus pacta mercede homines manibus suis transportabat. Is cum Dejaniram noctu transferendam in humeros suscepisset, in medio flumine palmis eam contrectare coepit. Mulieris clamantis voce audita Hercules conversus sagitta per pectus missa Centauri perfidi pulmones trajecit; qui moriens, ut Herculem perderet, Dejanirae sanguinem suum cum Lernaeae hydrae veneno, quod intulerat sagitta mortifera, permixtum tanquam ad Herculis amorem devinciendum utile futurum veneficium studiose commendavit. Id philtrum Dejanira in aereo lebete recondidit domique probe conclusit, quo uteretur, si res postularent 544—568. 668—677. 695 sq. 1104. 1105. Herculi nati sunt ex Dejanirae conjugio liberi; v. 31. Iphitum, cum Tirynthem venisset equas quaerens, imprudentem de turris fastigio praecipitavit. Propter hanc unam fraudem Jupiter eum vendendum tradidit. Omphales servitio in Lydia annum complevit 239—244. 261—271. 38. 69. 70. cf. 344—348. Ea servitute emissus Euryti urbem Oechaliam bello petiit 72—75. 250—253. Ex quo Iphitum interfecerat, Herculis uxor et liberi extorres Trachine apud hospitem per quindecim menses relictae erant, omnibus inscientibus, quorsus ille abisset 38—45. Atque ultimo discessu Dejanirae tabulam cum mandatis inscriptis et testamento reliquerat; oracula quoque Dodonae sibi facta aperuerat, si post illum discessum annum et tres menses abfuisset, aut tempore isto sibi in Euboea terra moriendum fore, aut isto temporis termino superstitem se reliquam vitam laetam transacturum esse 152—171. 46—48. 76—81. 1127—1136. Atque jam ante Jovis oraculo Herculi praedictum erat, eum a nemine viventium sed a quopiam Orci incola (Nesso exstincto) periturum esse 1122—1126. Ex alio denique oraculo Herculem a laboribus requies manebat, *ὁπότε τελεόμηνος ἐκφέροι δωδέκατος ἄροτος* 809—814. — Euryti urbe et principe ipso bello domitis Licham praeconem Hercules Trachinem ablegavit cum mulieribus bello captis, in quibus Jole, Euryti filia, cujus uno amore incensus, non propter Euryti injurias ante a Licha ementitas (vid. 245-260.), Eurytum et Oechaliam cepit, postquam pater furtivum cum puella concubitum precibus ejus denegavit 177 sq. 232—236. 349—365. 423—425. 464—481. Ipse autem Hercules ob reportatam victoriam in Euboeae promontorio sacra voto concepta parabat Jovi Cenaeo 228—232. 737—743. 966. His de rebus certior facta Dejanira non saevire constituit in Jolen aemulam, nec succensere marito, qui saepe amoris morbo laboraret 437—441. 451 sq. 482 sq. 525 sq. Sed ex Nessi dono conservato sibi salutem sperans tunicam hoc philtro unxit, unctamque Lichae tradidit, qui marito ad rem sacram redderet 542 sq. 581. 588 sq. 1101. Post Lichae abitum Dejanira lanae, qua in veste ungenda usa erat, miraculo admonita, in maximam sollicitudinem propellitur 651—710; dumque graviter incusat consilium suum praeceps et praeproperam facti festinationem, adest Hyllus ad patrem quaerendum ante

missus (vid. v. 54 sq.) et matrem Herculi interitum parasse arguit. Ipse enim parentis cruciatus conspexerat et ex eo audierat 722 — 735. Nam cum ad promontorium Cenaeum sacra solemnia Hercules jam pararet, domesticus Lichas advenerat cum veste fatali, quo ille indutus amictu imprudens primo gaudebat et sacra continuabat. Ubi vero victimarum flamma sese extulit, tum sudor ex corpore sacrificantis prorupit et tunica membris adhaesit omnibus; venenum penitus per ossa grassatur. Licham pede prensum allidit ad prominentem e mari scopulum; miserrimus Herculis status terret omnes; Hyllum pater advocat seque illinc auferri jubet. Miserum in scapham impositum Trachinem deportant 737 — 800. 1009 sq. Dejanira animi conscientiis lacerata gladio sibi mortem consciscit 852 — 925. 1093 — 95. Hercules advehitur dormiens, sed Hylli lamentatione expergefactus dolore invadente iterum miserabiliter conqueritur 940 — 1074. Hyllus denique parenti rem omnem aperit 1076 — 1105. Re audita Hercules Alcumenam matrem et omnem cognatorum stirpem jubet advocari, qui cum omnes essent procul absentes, Hyllo soli oracula olim sibi facta (vid. sup.) et jam rem consecuta exponit 1120 — 1136. Hyllum ad jusjurandum adigit, ex quo filius amicorum auxilio parentem in summum Oetam portet, ibique in rogo exstructo corpus paternum imponat rogumque incendat 1137 — 1165. cf. 1215 — 1219. Filius rogatu et minationibus patris adductus se omnia facturum esse ostendit, modo ne ipse ignem subjiciat 1166 — 1178. Denique Hercules Jolen Hyllo ad matrimonium commendat, qui post nonnullam ex pietate ortam deprecationem parenti se satisfacturum esse pollicetur 1179. usque ad fabulae finem.

Cum his conjungenda sunt, quae in Philocteta proferuntur. Hercules in Philoctetae Poeante nati patria, ad Meliadum Nympharum habitationem et ad Sperchei ripam, in Oetae montis vertice, ad superos adscendit 701 — 709. cf. 1387. Officium comburendi Herculi praestitit Philocteta, qui in facti gratiam illius tela accepit 780 - 782. 257 — 259. Ea tela Graecis ad capiendam Trojam necessaria 68. 69. 113. 1292 sq. 1383 — 85. 1396. 1397. Laboribus exantlatis Hercules immortalem virtutem consecutus est et coelestem sedem; id ipse apparens confirmat 1366 — 1379.

In Ajace Hercules Telamoni ob insignem virtutem Laomedontis filiam dono dedisse memoratur 1257 — 1262. — Ex Sophoclis Hercule ad Taenarum, cujus fabulae satyricae titulum in integrum restituit Toupius in Epist. crit. p. 123, potissima sunt, quae conservarunt Clemens Alex. in Strom. V. p. 716. et Eusebius in P. E. XIII. p. 680. de Jovis cum Alcumena furtivo concubitu; Both. fragmm. p. 115. cf. apud eundem p. 37. et p. 111. (Athen. I. p. 23.) — Verba apud Aristophan. in Equitibus 498: *Ἀλλ' ἴθι χαίρων, καὶ πράξειας κατὰ νοῦν τὸν ἐμόν*, quae ex Sophoclis Jolao esse ait Scholiasta, Hercules ad Jolaum dixerit, cui negotium aliquod mandaret; Both. fragmm. p. 45. — Quae profert Stobaeus in Florileg. Tit. CV. p. 560. ex Tyndareo, ea ad Hippocoontis exitium spectare existimo; cf. Apollod. II, 7, 3. §. 5. Both. p. 88.

Trachiniae, quae hoc maxime loco considerandae sunt, id spectant, ut Herculis in Jolen amorem exitiosum ostendant. Quo ipso necesse fuit, poetam pluries a fama

vulgari recedere et non pauca permutare. Itaque pugnam cum Acheloo et Dejanirae connubium Nessique caedem ante Joles petitum matrimonium et Iphiti interfectionem et Omphales servitium collocat, usitatam fabulam de Euryti in Herculem injuriis, quae hunc incitassent ad Oechaliae eversionem, pro Lichae mendacio venditat, evertendae urbis unam caussam Joles amorem fuisse insimulat. Porro Herculem a Trachine, ubi Dejanira cum liberis remanet, in Euboeam ad sagittandi contentionem omnibus inscientibus mittit, dehinc Tirynthem ducit, ubi Iphitus exstinguitur, post in Lydiam ad Omphalen amandat, unde Hercules in Euboeam revertitur ad Oechaliam evertendam, et quae sunt alia. — Achelous cum Hercule contendens apud antiquiores, Archilochum, Pindarum (p. 22. 29.) et Sophoclem ipsum taurus est et idem manet; apud posteriores initio humana figura ad certamen progressus, primum se in longum anguem, deinde in taurum trucem format; Ovid. Metam. IX, 1 — 88. Antiquiora retenta sunt in fabula apud Apollod. II, 7, 5. et apud Diod. IV, 35. cf. Encyclop. Herakl. p. 30. b. Quae Sophocles de Nesso et Herculis rebus ultimis tradit, ea fabula posterior fere omnia recepit; Apollod. II, 7, 6. 7. Encyclop. Herakl. p. 31. 32. 33. cf. sup. p. 22. De Iphiti pernicie sup. p. 47. 53. Oracula in Trachiniis maximam partem a poeta conficta sunt, quo fabulam suam augustiorem redderet. De Jove Cenaeo et Licha cf. Aeschyl. p. 67. 69. Apud Apollodorum II, 7, 7. et Diodor. IV, 38. Dejanira se suspendit. Nonnulla in Sophoclis Trachiniis fortasse a Cinaethonis Heraclea petita sunt; vid. sup. p. 13. — Herculem Oetaeum non admisit Pherecydes; vid. sup. p. 53. cf. p. 56. Apud Apollodorum II, 7, 7. rogo ignem admovet Poeas, Philoctetae pater.

